MATTHAEUS

CENTURIA
DIFFICUL-
TATUM

1616

J/2.

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

Accession Number

Press Mark

MATTHAEUS, J.

65577/A

V/2

CENTURIA DIFFICULTATUM MEDICARUM TAM JUCUNDARUM QUAM UTILIUM;

Ex veterum & recentiorum Medicorum libris erutarum, in quæſtiones redactarum, & more ſcholaſtico breviter diſcuſſarum,

PER

JOHANNEM MATTHÆUM, MEDICINæ Doctorem, Illuſtrium & Generoſiſſimorum Comitum Naſſoviorum Cattimelibocenſium Medicum, & Profeſſorem Herbornenſem.



HERBORNÆ NASSOVIORUM,

Ex officina typographica Chriſtophori Corvini.

CIↃ IↃC XVI.

SOCIETY OF LONDON · MEDICAL

ILLVSTRIBVS AC GENEROSISSIMIS COMITIbus ac Dominis, Domino JOHANNI-LUDOVICO, *Domino* GUILHELMO, *ac Domino* LUDOVICO-HENRICO, *Comitibus in Naſſavv Cattenelnbogen, Vianden & Dietz, Dominis in Beilſtein, dominis meis clementiſſimis.*

SI affectibus animi ſepoſitis, de artium utilitate & neceſſitate candidè & ſyncerè judicare velimus, Illuſtres & Generoſiſſimi Domini Comites, Domini clementiſſimi, ſine dubio nulla eſt utilior, nulla magis neceſſaria, ipsâ Medicinâ. Quid enim in univerſa hac mundi machina nos oblectare vel reficere poſſet, ſi vel mens, vel corpus, vel utrumque laboraret? At verò ut mens ſana ſit in corpore ſano, Medicus omn[is] artis ſuæ nervos intendit, & hunc ſib[i] ſcopum præfixum habet, ut mentis & intelligentiæ organa in naturali temperie & diſpoſitione

conſerventur, vel ſi luxurient aut defle-
ctant, in naturalem ſtatum & conditio-
nem reponantur. Tollite animæ rationa-
lis organa, & ipſam ſuſtuleritis animam:
reſtitutis organis, reſtituitur & illa. Res
clara eſt & perſpicua in hominibus me-
lancholicis de ſalute animarum cum pri-
mis dubitantibus. Res verò mira etiam &
ſtupenda, quod, cùm illi latiſſimum &
quaſi infinitum campum habeant, falſa
quæque imaginandi, hoc tamen inprimis
ſibi perſuadent, ſe ab omni gratia Dei eſſe
excluſos. Dum verò hujus rei cauſam di-
ligentiùs mecũ perpẽdo, video omnium
melancholicorum proprium eſſe, ut de-
terrima quæque ſuſpicentur ſibiq; imagi-
nando imprimant. Jam verò cùm nihil ſi
deterius quàm à gratia Dei eſſe exclu-
ſum, mirum non eſt ſi melancholici tal
quid ſibi perſuaſum habeant. Cùm igitu
plurimi melancholici, divinâ affulgent
gratiâ per artem medicam reſtituantur
conſtat, medicos nõ ſolùm circa corpus
ſed etiam circa animum hominis verſari
ac proinde nihil præſtantius, nihil utilius
nihil homine dignius præſtari poſſe, qu
ſi Medicina ritè & ſecundùm artis fur
damenta in vero uſu excolatur exercea
turque. Verùm bone Deus quid in un

verſo mundo dici vel excogitari poteſt, quod in tantum rapiatur abuſum, ac medicinam, nullo contradicente, rapi videmus? Etſi enim pręclarè laudatiſſimorum principum & Rerump. ſaluberrimis conſtitutionibus, & benè conſtitutis politiis caveri ſolet, ut omnis confuſio vitetur, & medicina non niſi ab iis, qui illam faciendi licentiam, ſuis laboribus & ſtudiis impetrarunt, exerceatur: nullus tamen hominum ordo, nullus ſexus, nulla ætas ab arte medica, cum tot millium hominum funeſto interitu vitæque periculo ſibi temperat. In Germania quidem jam pridem eò res devenit, ut præſtãtiſſima medicinæ pars, chirurgia nimirum, à medicis rationalibus, ad homines rerum naturalium omnino imperitos, pauciſſimos exceperim, ſit devoluta. Hæc verò ipſa licet ab imperitis, ab honeſtis tamen civibus ad carnifices nunc devolvitur, ut dubium nullũ ſit, quin, ſi hũc in modũ confuſio perrexerit, viresque, ut cæpit, ſumpſerit, noſtrâ etiam ætate ex honeſtis civibus vix ſit futurus qui vulnus aliquod obligare, ne dicam curare diſcat. Quis enim huic arti operam daret, quam carnifices ad ſe pertrahere & ſui quaſi juris facere conantur? Quòd ſi Æſculapius re-

viviſceret, vel Podalyrius aut Machaon qui in exercitu Agamemnonis vulnerum curatores fuerunt, & ob præclara in arte chirurgica ſpecimina facta, in numerum deorum gentilium relati ſunt, quid dicturos putabimus, ſi artis ſuæ collegas nunc viderẽt lixas, coquos, tonſores, carnifices? Quid Hippocrates, quid Galenus, quid Ægineta, quid dogmatici & rationales medici omnes, qui tot exantlatis laboribus, totam medicinã in certa præcepta, veris & firmiſſimis principiis ſuis conſentientia, redegerunt, ſi in vitam revocari aut reduci poſſent, dicturi eſſent, ſi agyrtas, veſpillones, pollinctores, Judęos, monachos aliosque, qui ne primoribus quidem, quod ajunt, labris medicam artem deguſtarunt, tantâ audaciâ & licentiâ medicinam exercere viderent? Galenus in ſimplicium medicamentorum facultatibus cognoſcẽdis & conſtituendis, tantam adhibuit præſtititque operam, ut ſingula non ſolùm ad certas qualitatum claſſes, ſed certos quoq; gradus, mirabili ſtudio & induſtriâ redegerit. Qui verò hodie rem herbariam & ſimplicium cognitionem ſibi arrogant, de veris qualitatum inveſtigandarum fontibus, minimè ſunt ſoliciti, ſed anilibus fabulis, vaniſſi-

mis operationum perſuaſionibus & experimentis, evidentiſſimis rationibus repugnantibus, & turpiſſimis contradictionibus libros commaculãt, ut ſolidi nihil, rerum autem abſurdiſſimarum farraginem contineant. Atq; hoc ipſum ii cumprimis faciunt qui ſervi & miniſtri Dei haberi volunt, & laudatiſſimas magiſtratuum conſtitutiones; pleno quidem ore è ſuggeſtu ad populum prædicant, ipſi tamen omnium minimè eas obſervãt: imò qui cum Paulo quidem πράσσειν τὰ ἴδια res ſuas agere, & vitare πολυπραγμοσύνην jubent 1. Theſ. 4. ℣. 11. Ipſi verò ab obſervatione præcepti ſunt alieniſſimi.

Hiſce accedunt Chymicorum famuli, qui ſimulac oleum vel ſpiritum aliquem deſtillando præparare didicerunt, ſtatim absq; ullâ artis medicæ cognitione quicquid deſtillarunt, contra omnis generis morbos ſibi planè incognitos, miris verborum præconiis, non ſine manifeſto vitæ diſcrimine diſtrahunt & divendunt. Equidem is non ſum, qui chymiam vituperare velim, quam per annos 26. quibus medicinam facio, in honore & uſu haud mediocri habui: ſed eos quî commendare poſſum aut debeo, qui absq; ulla artis medicæ cognitione & fundamento, chy-

mica, vehementiſſimæ operationis medicamenta, imperitiſſimè adminiſtrant? Eos quin imò reprehendendos & notandos cenſeo, qui ſibi perſuaſum habent, chymica ſua conſiſtere nõ poſſe, niſi Galenica faſtuoſo ſupercilio, ſine ulla tamen ratione deſpiciant & contemnant. Qui, cùm Quercetanum, virum præclarè doctum miris encomiis ornant, Galenum verò contumeliosè tractant, ſive irâ ſive odio excæcati, haud obſervant, quàm honorificè Quercetanus ipſe, cùm alibi paſſim, tùm maximè in pharmacopœa dogmatica, Galeni mentionẽ faciat, quàm reverenter illius doctrinam exoſculetur & imitandum autorem, per totum iſtum librum proponat. Quàm egregium quoque judicium, celeberrimus chymicus Theod. Zwingerus Helveticæ gentis decus eximium, de Galeno tulerit, non ſolùm Baſileæ ex ipſiusmet ore toties audivi, ſed illius quoque ſcripta teſtatum faciunt. Inter alia autem ad Paulum Heſſum Med. An. 1581. hæc ſcripſit: Maximi facio miniſtram medicinæ chymiam, eãdem ſi dominæ ſuæ ſeſe anteponere audeat, flagris etiam dignam cenſeo. Theophraſto multum tribuo, eundem verò arcem medicinę invadentem, non æquiore

ani-

animo ſuſtineo, quàm tyrannidem affectantem Cylonem, Athenienſes. Atque ut illi tanquam empirico & medicinæ elegantioris imperito, quando dogmata artis tot ſeculorum conſenſu confirmata, convellere nititur, mentem meliorem precor: ita noſtris quoque hominibus, qui inepto methodi ſtudio, nova damnãt omnia, ſenſum accuratiorem opto.

Si igitur Galeni fundamenta à ſanioribus omnibus in pretio habentur, quomodo figmenta iſta conſiſtere poterunt: unum & idem pharmacum chymicum, contra omnes morbos, etiam hactenus nondum viſos, ſed aliquando venturos, valere? imitari mihi hac in parte videntur Pontificis indulgentias, quæ non ſolùm peccata præterita, ſed futura quoque, interventu pecuniæ, expiare creduntur. Sed transeant abſurditates iſtæ. Quid verò de impietate Ulſtadii, in cælo philoſophorum, & aliorum, cenſendum, quando per quintam eſſentiam, terminum vitæ prolongari poſſe jactitant? Impiæ huic ſententiæ longiſſimè præfero Hippocratis, licet ethnici, judicium, Medicamentis, inquit is, utimur, non ut propoſitum vitæ terminum vitemus, ſed ut illum ipſum feliciter exſpectemus.

Sed quorſum hæc omnia, Illuſtres & Generoſiſſimi domini Comites, Domini clementiſſimi? nimirum ut oſtenderem, Medicinam artem omnium præſtantiſſimam à priſtino nitore plurimum defeciſſe, & temerario quorundam imperitiſſimorum hominum auſu, magis magisq́; obſcurari, dum vel pro remediis nugas tradunt, vel ſi ſint remedia, non ſatis tamẽ ipſis cognita nec perſpecta, unde cum judicio & discretione, pro diverſa ægrorum, morborum & temporum conditione, uſurpare illa neſciunt. Hoc ipſum verò in hoc libello enodationem difficultatum quarundam medicarum continente, luce meridianâ clarius apparebit. Quẽ libellũ ſub veſtri nominis auſpicio in lucẽ edere volui, quia perſuaſum mihi habeo, III. GGG. VVV. finitis nunc longiſſimis peregrinationibus, quas per Galliam, Italiam, Angliam & Belgium, aliquot annis continuarunt, bellicis quoque motibus quodammodo ſopitis, honeſtæ quieti ſeſe tradituras, & quantum quidem publica negotia permittent, librorum lectionibus oblectaturas. Putavi igitur me libellum hunc nulli commodius dedicare poſſe quàm III. GGG. VVV. quæ pręter ſingulare pietatis ſtudium & armo-

rum

rum uſum, ſingulari etiam animi propenſione, ad evolvendos omnis generis libros natæ & educatæ videntur. Clementer ergo, quod debitæ ſubjectionis & obſervantiæ causâ humilimè offero, ſuscipite, artemque medicam contra omnis generis fraudes & impoſturas defendite.

III. GGG. VVV.

Humiliter ſubjectus

Johannes Matthæus
Med. D.

ELENCHUS
CENTURIÆ DIFFICILIUM
quæſtionum medicarum.

1. *An ars medica ſit incerta?* N. pag. 1
2. *An ars medica ſit facilis?* N. 5
3. *An medicus præter artis ſcientiam, aliquâ felicitate indigeat?* A. 7
4. *An medici in aliqua dignitate ſint conſtituti?* A. 14
5. *An hominis vita ſine reſpiratione conſiſtat?* A. 18
6. *An homo ſine cibo & potu, ultra ſeptem dies conſiſtat?* A. 24
7. *An homo, ut beſtiæ, pingueſcere poßit?* N. 26
8. *An hominis epar ſupra diaphragma ſit poſitum?* N. 28
9. *An epatis fruſtula per alvum excerni poßint?* N. 29
10. *An cor in ſiniſtro latere ſit poſitum?* N. 33
11. *An purulenta thoracis materia, per ſiniſtrum cordis ſinum, ad vias urinæ derivari poßit?* N. 38
12. *An lien fruſtra ſit conditus?* N. 45
13. *An lien per vias urinæ purgari poßit?* A. 49
14. *An mamillæ virginum lac habeant?* N. 51
15. *An lac aſininum ſit tenue?* N. 54
16. *An mores nutricum cum lacte ingenerentur?* N. 56
17. *An mores per diſciplinam corrigantur?* N. 59
18. *An inteſtina ſuperiora chylificent?* N. 60

19. An

19. *An inteſtina intus obducta ſint pinguedine?* N. 66
20. *An inteſtina malè affecta, per dolorem discerni poſſint?* N. 69
21. *An inteſtina ſauciata coaleſcant?* A. 69
22. *An uterus muliebris ſeptem habeat cellulas?* N. 71
23. *An profluentibus menſtruis, fœtus ſanus eſſe poſſit?* A. 72
24. *An uterus muliebris in corpore oberret?* N. 73
25. *An teſtes ad formationem vocis conferant?* A. 74
26. *An facies ſit animi index?* N. 76
27. *An vulnera per ſe non lethalia, ab influxu ſtellarum lethalia fiant?* N. 78
28. *An percuſſâ cervice, oculi perfuſio, ut habet textus juris, fieri poſſit?* A. 84
29. *An unguentum armorum, ad curanda vulnera nec viſa nec tractata, aliquid conferat?* N. 88
30. *An potiones vulnerariæ quid conferant?* N. 108
31. *An incantationis ſit aliqua efficacia naturalis?* N. 112
32. *An perſona amata ad redamandum, per philtra impelli poſſit?* N. 118
33. *An terra venena producat in hominis perniciem?* N. 121
34. *An omnia animalia venenata ſint frigidæ naturæ?* N. 123. Item, *An venenatum animal alio veneno nutritum, exitialius evadat?* A. 125
35. *An animalia veneno paſta à nobis innoxiè edantur?* A. 127
36. *An in animalibus venenatis vermes gignantur?* N. 128
37. *An venenum præparari poſſit, ut certo tempore interimat?* N. 130
38. *An venenum ita concinnari poſſit, ut ſecundùm lunæ motum in corpus ſæviat?* N. 132

39. An medicamentorum alia cephalica, alia epatica, alia ſplenetica, &c. rectè nominentur? A. 136
40. An medicamenta electivè purgantia in ventriculo concoquantur? N. 141
41. An diverſarum operationum medicamenta invicem ſint permiſcenda? N. 144
42. An febricitanti aqua frigida ſit exhibenda? A. 149
43. An in peſte vena ſit ſecanda? N. 157
44. An per vomitum, ſicuti per alvum, purgatio inſtitui poßit? N. 165
45. An Dyſenteria ab eſu fructuum autumnalium principaliter generetur? N. 169
46. An in Dyſenteria purgandum? A. 172
47. An in Dyſenteria ad ſtyptica deveniendum? A. 174
48. An in Dyſenteria aquæ frigidæ potus conferat? A. 177
49. An in melancholia hypochondriaca frequenter ſit purgandum? N. 178
50. An alvi fluxus in pleuritide & peripneumonia ſit ſignum lethale? N. 181
51. An pica ſit affectus ventriculi? N. 183
52. An in porrigine cuticula in ſquamulas abeat? N. 185
53. An in morbis minùs periclitentur, quorum morbi congeneres ſunt ætati, temperamento, &c. N. 187
54. An cotonea mala urinam potenter moveant? N. 189
55. An allium flatus gignat? N. 193
56. An allium vermes gignat? N. 194

57. An

57. *An mel & ſacharum vermes gignant?* N. 195
58. *An Abſinthium in primo gradu ſit calidum?* N. 197
59. *An Althea calculum frangat?* N. 199
60. *An cicuta ſit venenum?* N. 201
61. *An nerium intra corpus ſumendum?* N. 204
62. *An meſpila calculum frangant?* N. 205
63. *An lentes in variolis ſint uſurpandæ?* A. 206
64. *An petroſelinum ſit verum apium?* A. 207
65. *An arum noſtrum ſit arum veterum?* A. 208
66. *An Tabernæmontanus calamum aromaticum rectè deſcripſerit?* N. 209
67. *An crocus crapulam arceat?* N. 211
68. *An Tabernæmontanus Eſulam cognoverit?* N. 212
69. *An Oxyacantha ſit Berberis?* A. 214
70. *An Sanguiſorba ſit pimpinella?* N. 215
71. *An piſum & cicer facultatibus differant?* A. 216
72. *An polygonum minùs urinam moveat?* N. 218
73. *An Lactuca lac nutricis augeat?* N. 219
74. *An Ricinus inflammationes arceat?* N. 221
75. *An ſalix adſtringat?* N. 222
76. *An melilotus epaticis conveniat?* N. 223
77. *An vinum mitiget furorem bilis flavæ?* N. 224
78. *An vinum conferat ſenibus?* A. 227
79. *An vina dulcia minùs inebrient?* A. 230
80. *An vinum rubrum refrigeret?* N. 231
81. *An aqua pluvialis ſit ſaluberrima?* N. 234
82. *An acetum calefaciat?* N. 238
83. *An omnia amara ſint calida?* A. 243
84. *An omnia narcotica ſint frigida?* N. 245
85. *An externæ plantarum ſignaturæ, internas earum facultates prodant?* N. 248

86. *An imaginatio corpus alterare poſſit? A.* 253
87. *An partum vel genituram ejicere liceat?* N. 258
88. *An certum ſit pariendi tempus?* N. 260
89. *An in partu oſſa pubis & ilium diſtrahantur?* A. 265
90. *An renes ſint generationis organa? A.* 270
91. *An Scythæ ſteriles fuerint?* N. 273
92. *An bona memoria arte parari poſſit? A.* 277
93. *An animalia aliquam habeant rationem? A.* 286
94. *An corporis exercitia cibum præcedere debeant? A.* 288
95. *An corpora cibo refecta, ſint leviora? A.* 291
96. *An à cibo ſumpto, ſomno indulgendum? A.* 293
97. *An facilius ſit ſomnum conciliare, quàm dormientem excitare?* N. 294
98. *An lætitia potiùs quàm triſtitia ſomnum promoveat? A.* 295
99. *An tempus vernale ſit ſaluberrimum?* N. 298
100. *An tempus vernale ad ſecandam venam ſit aptum? A.* 301

ENODA-

ENODATIO
DIFFICILIUM
QUÆSTIONUM MEDICARUM.

QUÆSTIO I.

An ars medica ſit incerta? N.

INCERTAM & dubiam eſſe Medicinam, ac proinde, rem periculo plenam, Medicinæ ſeſe committere, multi nec infimæ ſortis homines clamitant, eamque ſententiam ex eo probare conantur quòd Medicina nudis innitatur conjecturis, quæ cum plerumque fallant, nullam in Medicina certitudinem expectandam eſſe cenſent. At verò quàm jejuna ſit & infirma hæc aſſertio, evidenter apparet, eò quòd arti imputatur, quod artifici potiùs imputandam erat. Medicina ſiquidem firmiſſimis & indubitatis conſtat præceptionibus, principiis ſuis conſentientibus ut Galenus docet de opt. ſect. cap. 1. Medicus verò, etſi in actionibus ſuis quandoq; conjecturis utitur, nec propoſitum ſanationis & curationis finem pari felicitate ſemper aſſequitur, eò quòd vel circũſtantiæ variæ & diverſæ, quandoq; etiam

planè contrariæ ſe offerunt,ut docet Galenus lib. 1.de com. med.cap.2. vel medicus ab iis,qui ægro miniſtrant,decipitur,ut eſt lib. 1. de præcog.pulſ. cap.1.vel facultas nulla datur ipſum ægrum videndi & alloqúendi,quod quantum ad curationem feliciter abſolvendam conferat, teſtatur Gal. in conſ. de puero Epilept.

Quandoque ægrotantis viſcera inæqualem, quandoque contrariam temperaturam habent, ut quemadmodum ex ſententia Ariſtotelis difficillimũ eſt,virtutem inter duo extrema vitia poſitam conſequi,ſic non minùs arduum ſit atq; difficile ægrorum viſcera contrario modo intemperata corrigere.Sæpe quoque accidit,ut ægri vel ætatis vel infirmitatis causâ,ſui conditionem explicare,imò ne proloqui quidem poſſint,quantum verò in eo poſitũ ſit, patet ex Gal. com. 2.in 6.Epid. Interdum patientes ſunt impatientes & immorigeri,quandoque vires infirmæ medicamenta non admittunt, ſæpè ægrotantium ſtatus eſt deſperatus,vel rerum neceſſariarum inopia,aliáve accidentia Medicum impediunt, ut minùs feliciter operari poſſit: ipſi tamen arti inde nihil detrahitur,quippe quæ in ſe conſiderata,certis & immotis fundamentis nititur. Deinde ambiguitas eſt in vocabulo conjectura. Hæc enim ſi nuda eſt & ſimplex,nihil indicat:ſin verò demonſtrationem adjunctam habeat,jã non conjectura,ſed ſignum demonſtrativum appellari meretur. Diſtinguendum igitur eſt inter nudam conjecturam & ſignum quod à Medicis pariter & oratoribus τεκμήριον appellatur,id quod veteres ſignum ſyllogiſticum

ſticum, recentiores verò indicationem nominare conſueverunt, eò quòd indicat quid faciendum, quid omittendum. Nudæ conjecturæ nullam inferunt neceſſitatem ſed probabilitatem: nec perpetuò ſed utplurimùm rem eandem indicant, ac proinde potiùs ad Empiricos, quàm rationales Medicos pertinent. Τεκμήρια verò ſeu indicationes unam eandemq; rem ex ſua natura perpetuò neceſſarioque citra aliquam ambiguitatem demonſtrant, nec fortuitis obſervationibus, ſed firmâ ratione logicâ conſtant, quæ conſequens ex veris cauſis & effectibus rectè cognitis colligunt. Simili modo in publicis judiciis præſumptiones, quas vocant, à documentis differre videntur. Illæ ſiquidem fallere poſſunt: hæc verò judicem ad cognitionem facti ſine errore deducunt. Quapropter cùm tanta ſit horum ſignorum vis & neceſſitas, perperam agunt, qui Medicinam incertitudinis arguunt.

QUÆSTIO II.

An ars Medica ſit facilis?

Concluſio negativa.

THeſſalus, ut videre eſt apud Gal. lib. 1. Meth. c. 1. tantam artis medicæ facilitatem ſomniavit, quæ trium menſium ſpatio addiſci poſſit. Hanc asſertionem ut ignorantibus perſuaderet, omnes morbos, & per conſequens omnia remedia ad duos redegit ordines, ut morborum

alii laxi ſint, alii adſtricti, & proinde remedia vel relaxandi, vel adſtringendi facultatem habeant. Quàm verò monſtroſa & abſurda ſit hæc ſententia, maxima rerum naturalium & non naturalium teſtatur amplitudo, in qua, velut in vaſto aliquo mari, Medicum verſari oportet. Etſi autem naturalia facilioris ſint cognitionis, quòd uno ſemper & eodem modo ſe habeant, contrà verò non naturalia varia ſint, disſimilia, & multiplici errore involuta: non tamen omnia, quæ naturalia ſunt, ad laxandi vel adſtringendi ordinem reduci poſſunt. Sunt enim multa, ut de primis naturalium rerum qualitatibus loquar, quæ citra relaxationem aut adſtrictionem calefaciunt vel refrigerant, vel humectant vel ſiccant. Similiter in ſecundarum qualitatum ordine occurrunt attenuantia, aperientia, exaſperantia, lenientia, incraſſantia, disſolventia & ſimilia, quæ ad laxantium & adſtringentium ordinem nullo modo reduci poſſunt. Omnium verò minimè tertiæ rerum naturalium qualitates ad duplicem illum à Theſſalo propoſitum ordinem, referri queunt. Quòd ſi conſideremus, quæ naturalia non ſunt, longè maximam varietatem & disſimilitudinem inveniemus. Ut verò de multis aliquid ſaltem attingam, morbi totius ſubſtantiæ, nec non, qui in intemperie poſiti ſunt, ad prædictam duplicem morborum claſſem referri nequeũt. Quapropter ſummus Medicinæ parens Hippocrates artis Medicæ difficultatem ingentemque vaſtitatem cernens, in lib. de loc. in homine inquit: impoſſibile eſt Medicinam citò addiſcere, imò primo

ſtati in

ſtatim aphoriſmo exclamat, artem eſſe longam, vitam brevem, judicium difficile: quaſi dicat, univerſam hominis vitam non ſufficere ad perfectam artis Medicæ perceptionem. Tam latè ſiquidem Medicina patet, ut, ſi cum vitæ humanæ curſu comparetur, vita brevior ſit, nec ad artis Medicæ amplitudinem intelligendam ſufficiens. Et difficultatem artis Medicæ Hipp. probat, quia ad diſcendam & exercendam Medicinam tria ſunt neceſſaria, occaſio ſcil. experientia & judicium.

Occaſio, quæ momentanea, lubrica & præceps eſt, in omnibus actionibus, ac proinde etiam in Medicina, id quod intellexit Plut. in vita Luculli, inquiens, temporis occaſionem maximum vitæ mortisque momentum obtinere. Unde non malè poeta:

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt;
Et data non apto tempore vina nocent.

Quemadmodum igitur plurima ſunt occaſionis commoda, ſic ejusdem neglectæ plurima eaq; graviſſima incommoda; quæ paſſim ab Hippoc. cum primis verò lib. 1. de morb. & à Galen. com. 1. in 6. epid. & lib. 1. ad Glauc. copiosè explicantur. Sic experientia, quæ fallax eſt & proinde periculoſa, omnem difficultatem auget, unde patet, quàm miſerè & turpiter experimentatores ratione & judicio deſtituti, tempus opportunum negligentes, temperaturam imò occultam temperaturæ proprietatem inveſtigare neſcientes, & arcanas medicamentorum vires ignorantes, in facien-

da Medicina fallant & fallantur. Accedit judicium, quod Hipp. difficile nominat. Quemadmodum enim in captanda occaſione;ita in metienda quantitate & qualitate,& in reliquarum indicationum contemplatione,ſummâ judicii dexteritate opus eſt. Ideoque Galen. lib.3. meth. inquit: Qui temperamentorum qualitates exactè novit, Æſculapi⁹ eſſe poteſt,quaſi dicat,hoc opus, hic labor eſt. Judicii difficultatem auget doctrina de pulſibus, quæ tam lata eſt & intricata,ut perfecta iſtius cognitio, totum quaſi hominem requirere videatur. De hac Galen. ipſe in lib. de pulſ. profitetur,ſe in doctrina pulſuum multis annis diligentiſſimum fuiſſe,magnaq; alacritate veterum libros de pulſuum doctrina editos evolviſſe, ad perfectam verò cognitionem non perveniſſe. Si hoc Gal.accidit,quid nobis accidere poſſe putabimus?ſi tantum temporis & laboris in una Medicinæ parte inſumpſit, quantum ad univerſam artem perdiſcendam nobis inſumendum erit?nec verò illud ſilentio involvendum quod Averrhoes lib.6.collig. aſſerere non dubitat,ſe unicum perfectum Medicum noviſſe, Avenzoarem nimirum, qui patrem habuerit Medicum, ſub cujus diſciplina 40.ann. ipſe artem exercuerit, id quod paucis contingere poteſt. Denique Gal. lib. 1. loc. affect.cap.1. præter artis peritiam,magnam etiam prudentiam & experientiam rectæ rationi conjunctam in Medico deſiderat,quam exiguo temporis ſpatio nemo acquirere poterit. Graviſſimè igitur errant,qui tantam artis Medicæ facilitatem ſomniant,ut ſi unum atque alterum medicamen-

tum

tum chymico forſan more præparare norunt, ſine omni fundamento haud aliter ad faciendam Medicinam mactandosque homines proſiliunt, quàm lanii ad mactanda pecora pretio conducuntur.

QUÆSTIO III.

An Medicus, præter artis ſcientiam, peculiari felicitate egeat?

Concluſio affirmativa.

M. T. Cicero Orat. 3. Philip. inquit, magnam vim magnumque numen eſſe, quando multi unum & idem ſentiunt: innuens proculdubiò, veritatis evidentiam in multitudine unum & idem ſentientium potiſſimùm conſiſtere. Cùm igitur pleriq; omnes exiſtiment, præter artis Medicæ peritiam, etiam peculiarem aliquam felicitatem Medico practico neceſſariam eſſe, & quotidiana obſervatio idem atteſtetur, non inconveniens eſſe puto, paulò accuratiùs inquirere, an res ita ſe habeat, quænam illa ipſa felicitas ſit, & qua in re conſiſtat. Communis Medicinam exercentium obſervatio teſtatur, felicitatem hîc multum poſſe. Multos enim videas ſummâ doctrinâ & ampliſſimâ eorum, quæ ad artem pertinent, cognitione inſtructos, cùm ad artem ſe convertunt, ridiculè falli & aberrare. Alios rurſum experimur, qui cum excellentibus naturæ dotibus & naturali ad artem aptitudine, doctrinam uſumque artis conjunxerunt, alios longiſſimè ſuperare. Coclitem chiromantem celeberrimum rogatum, ut artem, quâ linearum notas, collocationes & commix-

tiones, & ceteros figurarum characteres expendebat, & ad uſum accommodabat, literis deſcriptam poſteritati relinqueret, reſpondiſſe ferunt: ſe optare, ut aliquis integram artẽ chiromanticen perſpicuis regulis complectatur, velle ſe, quãtum conſecutus eſſet, optimâ fide literis committere, attamen futuro chiromanti præter artis præcepta, peculiari fortunâ opus eſſe, quam qui ad artem non afferat, eum fruſtra in ſola doctrina omnem operam collocare. Sed ad artem Medicam revertamur, de qua Cornel. Celſus. lib. 3. c. 1. diſertis verbis ſcripſit, felicitatem, quam fortunam vocat, in ipſis morbis non minùs ipsâ arte valere. Huc reſpexit poëta:

Tu nihil invitâ dices faciésve Minervâ.

Denique ſacra ſcriptura hanc ipſam inclinationem ſeu felicitatem donum vocat, quæ non omnibus ſed quibusdam divinitus detur. Unicuique, inquit Paulus, Corint. 12. datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alii datur ſermo ſapientiæ, alteri ſcientia, alteri fides, alteri gratia ſanandi, aliis interpretatio linguarum, &c. 1. Corinth. 12. Minimè igitur dubitandum, quin, ut in aliis rebus omnibus, ſic in Medicina maximè, felicitas quædam requiratur. At verò non minore inveſtigatione opus eſt, qua in re felicitas illa, quam alii fortunam vocant, conſiſtat. Virgilius quidem fortunam in auſu quodam temerario reponere videtur, quando inquit:

Audentes fortuna juvat, timidosq́ repellit.

Sed temerariam hanc fortunam Medico nihil prodeſſe, ſed obeſſe potiùs, ſatis intellexit Hipp. 6. Epid.

Epid.ſect.2. text.18. In operationibus, inquiens, nihil temerè. Hanc ipſam temeritatem reprehendit Gal.lib.2.de temperam. c.ult. & lib.2.de motu muſc.c.5. potiſſimùm verò c.6.& 7. lib. de Anim. fac. ubi ex profeſſo temerariorum & audaciſſimorum Medicorũ actiones & errores redarguit. Sed videtur adhuc alia ſupereſſe fortuna, quæ à cæco quodam numine vel influxu provenire putatur, de qua Ovid.

Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxq́; loco.

Verùm nec iſta momentanea & æſtuaria fortuna quidquam Medico confert, quod præter Gal.lib.11.de uſu partium,c.7.ratio & experientia confirmant. Cæterùm Avic. 6. natural. ſcriptum reliquit,illum & plures & feliciter curare, cui plures fidunt: quaſi omnis,quam quærimus, fortuna in ea,quam ęgri in Medico collocant,fiducia conſiſtat. Veriſſimum autem eſſe quod Avic. ſcripſit, præter quotidianam obſervationem ratio etiam evidens convincit. Fiducia ſiquidem magnam reſtitutionis ſpem in animis ægrorum excitat: ſpes lætitiam parit: lætitia omnium medicamentorũ operationes feliciſſimè promovet. Contrà verò, ſi æger à Medico abhorret, non niſi infauſta medicamentorum operatio exſpectanda. Quapropter quicunq; juxta artis peritiam ægrorum fiduciam ſibi conciliare poteſt,ei de felici curatione minimè dubitandum eſſe arbitror. At verò fiduciam Medicus conſequitur partim ex ſua natura, partim aliorum hominũ adminiculo. Ex ſua natura Medicus conſequitur fiduciam æ-

grorum, quando non minùs prudentiæ quàm arti ſtudet. Qui enim ſolius artis præcepta rigidè ſine ullo reſpectu obſervat, timidos, reluctantes, & averſantes ęgros reddit. Et ſic omnia infelicē ſortiuntur exitum. Timidos a. infeliciter curari, præter infinita alia, vel unicum ſecandæ venæ exemplum docet. Quoties n. æger vel chirurgum, vel ipſam ſectionem extimeſcit, ſanguis quaſi ad interiora recurrit, minúsq; feliciter extrahitur. Et contrà quicunque læti cum fiducia bonæ operationis ſectionem admittunt, ſanguinem feliciter fundunt. Sic reluctantes aſſumta pharmaca vel vomitione rejiciunt, vel in corpore detenta, nihil utplurimùm operari ſentiunt.

Quicunq; igitur prudenter circa ægros verſatur, &, quantum omnino fieri poteſt, non ſolùm in victu, ſed pharmacis etiam ægris gratificatur, iſtum omnes mirè amant, diligenter audiunt, ei obtemperant, in omnibus operationib. fidunt, ac proinde eventus feliciores conſequuntur. Uberrimū hunc prudentiæ fructum intellexit Cic. 5. de finib. In omnibus artibus, inquit, communis requiritur prudentia, ſine qua nihil memorabile vel laude dignū effici poteſt. Hoc Ciceronis dictum, ut in omnibus artibus locum habet, ſic maximè in Medicina, quæ factiva eſt. Præcipuam enim ejus partem omnes eſſe judicant, conſiderare, non ſolùm quid per ſe optimum ſit, ſed etiam, quid pro temporum aliarumq; circumſtantiarum ratione obtineri poſſit. Atqui ſolius prudentis eſt, conſilia & actiones ꝓ re nata immutare. Conſequens ergo eſt, prudentiam, ad comparandam ægrorum fiduciam,

ciam, ac proinde ad felicitatem in operibus impetrandam, utilem eſſe & neceſſariam. Magnam quoque hujus prudentię vim Hippocrates paſſim agnovit, adeò ut non rarò prudentiâ uſus ſit, ipsâ arte quaſi neglectâ, quando nimirum inſuavem & inſalubrem victum ſuaviori & ſalubriori prætulit, Aphoriſ. 38. ſect. 2. Simili prudentiâ non infeliciter aliqui utuntur, qui vel prægnantibus res inedules permittunt, ne abortum faciant, vel febricitantibus in victu minùs idoneo, vehementer tamen petito gratificantur, ut nimirum ventriculus ad vomendum incitetur, qui vomitus ad tollendam febrem quandoque ſufficit. Cornel. Celſus lib. 1. c. 1. prudenter potiùs quàm artificiosè conſulit, homini ſano, nullam in cibo & potu legem ſervandam eſſe, ne, ſi negotiis vel itineribus impeditus eandem victus rationem continuare non poſſit, in gravem morbũ incidat. Conſuetudo enim, ut Hippoc. ait, altera natura eſt, quæ ſi derepentè immutetur, non poteſt non periculoſa eſſe. Quinimò Hipp. lib. 1. progn. ꝓlixè docet, quâ prudentiâ Medicus circa morbos uti debeat, ne in aliquam incurrat infamiam vel odium ægrorum, adeò, ut in lib. de Medic. veſtitum etiam cultumq; corporis ad gratiam ęgrorum accõmodare jubeat. Gal. etiam comment. 4. in 6. Epid. text. 9. cavendum eſſe ꝑcipit, ne ægros ſermonib. noſtris offendamus: id quod minùs prudenter obſervavit, qui cuidã magno dolore exclamãti: Morior, reſpõdiſſe fertur: Moriaris, cùm etiã Patroclus te longè præſtantior mortuus ſit. Simile imprudentis Medici exemplum fugiendum proponit idem Gal. loco

cit. de Quinto Medico Romano, qui, cùm potentem ægrum viſeret, viniq́ue odorem ſpiraret, ab ægro, ut pauliſper recederet, admonitus fuit: Quintus verò ſat imprudenter reſpondit: vini odorem feras oportet, cùm ego longè deteriorem tuâ causâ perferam. Hic medicus, etſi omnes alios Romæ tum temporis medicinam exercentes, ipsâ artis peritiâ antecellebat, ſuâ tamen rigiditate effecit, ut urbe pelleretur. Verùm enimverò, cùm Socrates omnes alias virtutes prudentiæ includat, laborandum erit Medico, ut omnibus virtutibus præditus ſit & exornatus, cumprimis verò pietate, humanitate, taciturnitate, & temperantia. Pietas quidem ad omnia utilis eſt, inquit ſacra Scriptura, & plus ſæpiſſimè efficit, quàm admiranda multorum ſcientia. Nec moveri me patior, quòd major hominum numerus, hac præſertim ætate, impiis potiùs & ſuperſtitioſis pharmacis, quàm veris & à Deo nobis conceſſis mediis delectatur, utpote ſanguine, vel cranio humano, characteribus, Evangelio S. Joannis, medicinis vel mēdicando cōparatis, vel à tergo vel impari numero collectis, auro vel argento erutis, dextrâ vel ſiniſtrâ manu decerptis, caſu denique fortuito, vel ſub pedis ſiniſtri planta, milleq́ue modis aliis ſuperſtitiosè inventis. Etſi igitur nonnulli hisce diabolicis artibus magnum ſibi nomen pariunt, verorū tamen Medicorum nomen minimè merentur. Pietati affinis eſt humanitas, quæ Medicum ſummoperè commendat. Hanc ex veteribus Medicis Scribonius Larg⁹ neceſſariò in Medico requirit. Danda verò omnis opera, dum humani & moderati haberi

eri volumus, ut ubique decorum obſervemus, ne in turpiſſimam incidamus adulationem, quod monet Gal. in com. 4. in 6. Epid. Quanta etiam prudentia ſit linguam continere, optimè novit Hipp. qui ſub juramento tacenda præcepit, quæcunque arcana circa ægros audiuntur & videntur: hanc ipſam taciturnitatem præter Gal. com. 5. 6. Epid. text. 1. nobis etiam commendat Horatius:

——— ——— ——— Commiſſa tacere
Qui nequit, hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

Nec verò ſola taciturnitas Medicum commendat, ſed etiam ſermo moderatus. Loquacitas enim in odium & contemptum Medicũ adducit, cùm multi ęgri mori malint, quàm nugaciſſimum hominum genus tolerare. De garrulitate iſta loquitur Hipp. in lib. de orn. Med. Medicus, inquit, multum ne fabuletur. Medicina enim, ut Gal. de præcogn. ſcripſit, non verbis & garrulitate, ſed operibus exercenda. Celſus quoq; non verbis, ſed herbis morbos ſuperari aſſerit. Deniq; in vulgare abiit proverbium: loquacem Medicum ęgrotanti alterum eſſe morbum. Prudentia denique ſine temperantia conſiſtere nequit. Quæ enim prudentia eſſet iſta, ſi Medicus ægris ſuis temperantiam præciperet, ipſe interim heluaretur, dies noctesque diſſolutè viveret? Etſi autem artis peritia & prudentia in omnibus operationibus adhibita pro conſequenda felicitate Medico ſufficere videri poterat: facit tamen quorundã iniquitas, cui etiam prudentiſſimi quiq; ſubjiciuntur, ut favor popularis, hoc potiſſimùm ſeculo, quo nihil ab iniquis cenſuris, cavillationib. detrectationibus,

maledictis aliisque nocendi generibus tutum eſſe poteſt, tanquam externum conſequendæ felicitatis adminiculum requiratur. Quapropter primarium & principale conſequendæ felicitatis inſtrumentum eſt ipſius artis peritia cum prudentia conjuncta, cui ſi accedat favor popularis, quē ſtatuo eſſe inſtrumentū ſecundarium, mihi dubium non eſt, quin Medicus ita inſtructus, & plures & feliciùs ſit curaturus.

QUÆSTIO IV.

An Medici in aliqua ſint conſtituendi dignitate? A.

INvitus non ſemel audivi Jureconſultos irriſores, neſcio quo Juris textu exagitātes Medicos, quòd pretio ſexaginta ſolidorum æſtimentur: eodem ſcilic. quo obſtetrix, & minore quàm Eunuchus artifex, qui æſtimetur ſolidis ſeptuaginta: unde argumentabantur, non poſſe Medicos ad ullos honores aſpirare, nec eſſe aliquem ipſorum ſtatum aut dignitatem. Nam qui pretio æſtimatur, ſervus ſit neceſſe eſt: liberum enim corpus æſtimationem nullam admittit. Servorum autem ſtatus nullus eſt, nulla dignitas. Ergo. Atque hinc factum dicunt, quòd Româ olim expulſi Medici, nec 300 annis recepti fuerint. Verùm ſi egregia iſta argumentandi ratio valere debet, videant viri iſti boni, quonā pretio & ipſi Jureconſulti à Laur. Valla, Rodolpho Agricola & aliis digni habeantur, quibúsve depingantur coloribus. Cùm verò

ægrè

ægrè & indignè ferant, quòd ita rigidè excipiuntur & tractātur: cur, quod ſibi fieri nolunt, contra naturæ legem, aliis faciunt? Eſto igitur, Imperatorem aliquem, Medicum ſexaginta ſolidis æſtimâſſe: non tamen quæritur quid factum ſit, ſed quid fieri debuerit. Quamvis ſaniores Jureconſulti, Imperatorem de ſervis, minimè verò de liberis, æſtimationē feciſſe, dicant. Utut verò illud ſit, nec ſeculum noſtrum ullam ſervitutem agnoſcit, nec obſcurum, ſed luce meridianâ clarius eſt, in eminenti dignitatis gradu conſtitutos, omni tempore medicinam feciſſe. Chiron, opinor, ſervus non fuit, ſed Saturni filius, qui & medicinam fecit & Æſculapium docuit, teſte Plin. cap. 3. lib. 25. Æſculapius Apollinis filius, quamplurimis deſperatè ægrotantibus, ſanitatem reſtituit. An non Strabo lib. 15. ſcribit, in India poſt Brachmanas, Medicos in ſummo dignitatis gradu conſtitutos fuiſſe? Menecrates Syracuſanus Medicus, nullam, ut Suidas & Cælius lib. 6. c. 38. referunt, ab ægris mercedem accipiebat, ſed contentus erat, ſi à morbo liberati faterentur, ſe Medici ſui ſervos eſſe. Quid dicam de Hippocrate, qui non ſolùm genus ſuum ab Hercule deduxit, teſte Euſebio, ſed in tanta etiam dignitate ab Athenienſibus fuit habitus, ut ſtatua ei poſita fuerit? Huic quin etiam tota Græcia, non minores quàm Herculi honores exhibuit. In Macedonia regi Perdiccæ fuit familiariſſimus & chariſſimus: nullis verò precibus, nullis munerib. nullisque blanditiis ab Artaxerxe Perſarum rege, Græcorum hoſte, permoveri potuit, ut operam ſuam, ſervorum more, ei locaret. Nec ſilentio

prætereundus Cleombrotus, qui propter ſervatum Antiochũ, à Ptolomæo Megalenſibus ſacris, & centum talentis fuit dotatus, ut refert Plin. lib. 7. c. 37. Strabo etiam lib. 13. & Diod. lib. 2. c. 9. prodiderunt, Cteſiam medicum Xerxi Perſarum regi fuiſſe conjunctiſſimum. In quanta etiam dignitate Galenus, apud Marcum, Cõmodum & Pertinacem, Imperatores, fuerit, clarè demonſtravit Geſnerus in vita Galeni. Quantum præterea gloriç & laudis Oribaſius apud Barbaros reges, & Antonius Muſa apud Auguſtum Cæſ. obtinuerit, id prolixè Eunapius & Plinius teſtantur. Quis ignorat, Evacem & regem & Medicum Arabiæ fuiſſe? Quis nobiliſſimam Avicennæ originem neſcit? Tribunus Palæſtinus tantus in arte Medica fuit, ut Coſroës, factis cum Juſtiniano Imp. induciis, in annum duntaxat illum ſibi concedi, çgrè, ut refert Suidas, impetrarit. Volaterranus autor eſt, Meſuæum medicum genus ſuum in Abdelam regem Damaſci referre. Et ut paucos nobili ſtemmate ortos ex recentioribus addam, primùm occurrit Sylvaticus, nobilis Mantuanus, qui opus Med. Simp. Roberto Siciliæ regi inſcripſit. Occurrit Savonarola Patavinus, eques Hieroſolymitanus & practicus Medicus inſignis. Taceo Harſeliũ Laudunenſem, qui Carolum VI. Gal. reg. teſte Froſſardo, ab inſania curavit. Omitto Michaëlem Scotum, Cratonẽ, Thaddæum, Hageciũ, Cocterium, cui rex Galliæ Lud. XI. ut notat Cominæus lib. 9. hiſt. menſtruum ſtipendium decem aureorum millia numerare ſolebat. Miſſum facio Mercurialem Comitem, cum innumeris aliis, tam genere, quàm

quàm doctrinâ & virtute excellentiſſimis viris. Romanos quod attinet, qui Medicos urbe expulerunt, reſpondetur, eos vel ſervos duntaxat, vel Græcos, tyrannidem & crudelitatem, ſecando & urendo, in Romanos exercentes, autore Catone, expuliſſe, minimè verò Latinos & liberos. Quanquam & hîc reſponderi poteſt, non reſpiciendum eſſe quid unus aut alter vindictæ cupiditate abreptus, fecerit, ſed quid fieri debuerit. Sed Jureconſultos ſuomet gladio jugulo. An non olim infames etiam procuratorio munere fungi potuerunt? Ergo procuratorium munus vile eſt & infame. Quia ſi officiũ eſſet honorificum, infamibus non pateret, utpote quibus portę dignitatum ſunt occluſæ. Nunc ergo quæſierim uter dignior ſit, probúsne ſervus aliquis, vel infamis aliquis procurator? Sed heus Juriſconſulte, qui ſervos vel Græcos Medicos, à quib. tamen Medicinæ fontes promanârunt, ferre nequis, cur jura tua ferunt lupanaria, meretricias conjunctiones, cõcubinatus, circumventiones in pretio, uſuras & ſexcẽta talia, cum lege naturæ & honeſtate pugnantia? I nunc garrule, & maculas iſtas aliasq; ſordes repurga, deinde Medicos ſervos ſine ulla dignitate vixiſſe, ſolidiorib. argumentis proba. Quis n. eos inglorios vixiſſe putaret, quorum operâ nulli Imperatores, Reges, Principes, nulla hominũ ætas, nullus ſexus carere potuit? Imò ipſi etiã Jureconſulti, non dico valetudinis, ſed juris dicundi causâ Medicorum ſenſa requirunt. Quam enim ſententiã, quod judiciũ, in caſu homicidii, partus, ſeptimo, decimo & undecimo menſe editi, abortus, impotentiæ

maritalis, & plurium ſimilium ferant, ni Hippocrates, ni Medici vacillantibus ſuccurrant. Hæc in nullius jus & ęquitatem profitentis odium & contemptum, cùm & patre natus ſim J.U. Doctore, & fratres atq; ſororios ejusdem facultatis doctores habuerim, & Dei gratiâ etiamnum habeam, ſed in garrulos & obtrectatores adjicere, meus me impulit affectus, quo à puero ad ſtudium Medicum abreptus fui, nec non indignitas, quâ Medicina Dei Opt. Max. maximum donum contumelioſè quandoq; excipitur.

QUÆSTIO V.

An hominis vita ſine reſpiratione conſiſtere poſſit?

Concluſio affirmativa.

STupenda eſſe videtur hiſtoria, quæ Coloniæ in veſtibulo templi tabellæ inſcripta legitur, quosdam ſcil. maleferiatos & ſceleratos homines, defunctam & ſepultam non infimæ ſortis fœminam, mediâ nocte, ut aureis annulis & armillis illã ſpoliarent, effodiſſe, cúmq; manus illi injicerent, fœminam revixiſſe. Quo viſo, deterritos ſepulchri violatores aufugiſſe, fœminam verò ædes ſuas repetiiſſe. Cùm verò nulli ſit dubium, dictam fœminam potiùs ſine reſpiratione ingenti animi deliquio detentam, quàm verè extinctam fuiſſe, omnibus ſiquidem ſemel moriendum, ſpeculandi datur occaſio; An, ſublatâ omni reſpiratione, vita ſupereſſe poſſit. Ex una parte eſt Gal. ſentẽtia lib. 6. loc.

loc.affect.c.5.ubi inquit,reſpirantem non vivere, & viventem non reſpirare,impoſſibile. Item lib.5. loc.affect.c.1.ſublatâ reſpiratione tollitur vita.Etſi autem mente captus videbitur, quicunque hanc Gal.ſententiam impugnaverit:attamen ſi reſpirationis cauſam & neceſſitatem diligenter conſideraverimus,deprehendemus, reſpirationem eſſe actionem à vita ſeparabilem. De cauſa verò reſpirationis non eſt una eademque omnium philoſophorum ſententia. Ex antiquioribus enim nonnulli,ut videre eſt apud Gal.lib.6.de uſu part. cap. ult. reſpirationem ad explendas arterias, alii ad ſpiritus vitalis generationem neceſſariam eſſe ſtatuerunt. Verùm utraque ſententia caret omni ratione, eò quòd arteriæ ſolo ſpiritu vitali,miniméque aëre extrinſecus attracto explentur. Cui rationi & hæc annumeranda, quòd arteriæ ſemel ſpiritu expletæ, tantâ celeritate & frequentiâ non inaniuntur, quanta aër per reſpirationem attrahitur. Quod ad alteram ſententiam attinet, etſi aër extrinſecus attractus ſucceſſivis alterationibus & præparationibus in aſperæ arteriæ ramulis, ipſisque pulmonibus factis, ad vitalis ſpiritus generationem conferat : crebrior tamen eſt reſpiratio, quam defectus materiæ ad reſtaurationem ſpiritus vitalis neceſſariæ exigit. Gal. verò tum alibi paſſim, tum maximè in lib.de utilitate reſpirationis cap.3. & 4. variis, iisque firmiſſimis adductis rationibus nec non argumentis ab experientia & communi ſenſu deſumtis, docet, cordis calorem cauſam eſſe reſpirationis. Cùm enim cor, teſte Ariſtotele de ſenſil. 2. adeò ſit calidum, ut

digitus in ſiniſtrum cordis ſinum animalis recenter mactati inſertus fervorem vix ferat, neceſſariò pro ſui conſervatione, externo refrigerio aëris ſcilicet frigidi crebrâ reſpiratione indiget. At, inquis, in balneis aliisque locis æſtuoſis, ubi non niſi calidum inſpiramus aërem, æquè vivimus ac ſi frigidum aërem duceremus. Ad hanc objectionem reſpondeo: Licet vivamus in balneis, minimè tamen pari tolerantiâ & facilitate nos vivere. Quin imò ipſa teſtatur experientia, multos in balneis propter privationem frigidi aëris animo deficere & ſuffocari. Quapropter cor omnium viſcerum calidiſſimum non tam ſubſtantiam externi aëris, quàm ipſam aëris qualitatem frigidã pro ſui conſervatione requirit, ut diſertis verbis docet Gal.c.6.de natura arteriarum. Conceſſo igitur, reſpirationem ad ventilandum & refrigerandum cordis calorem neceſſariam eſſe, conſequitur, quotiescunq; cor nimis eſt refrigeratum, vel calor cordis ex cauſis morboſis oppreſſus, nullam reſpirationem neceſſariam eſſe. Sublatâ enim cauſâ tollitur effectus. Hinc videmus limaces, muſcas, lacertas, aliaque plura animalcula hyberno tempore veluti demortua ſine ulla reſpiratione latitare, eò quòd calor cordis oppreſſus ſit, & veluti extinctus, ulteriori refrigerio non indigens. Idem non rarò mulierib. uteri ſuffocationem patientibus uſuvenit, quando cordis calor à maligna uteri exhalatione ita opprimitur, ut nec reſpirẽt, nec reſpiratione opus habeant. Hinc non ſolùm rudis & ignara plebecula, hyſtericas mulieres bis vel ter mori poſſe, ſed etiam Valerius

Maximus

Maximus lib.1. de miraculis c.8.exemplo Acilii & aliorum docet, eos,qui verè mortui ſunt,in vitam redire, & ſecundâ vice mori poſſe. Nos verò ex S.Scriptura aliud edocti, in eam ſententiam non ſine ratione in operibus naturæ fundata,inclinamus, fœminam illam Colonienſem non verè mortuam, ſed ex uteri vitio, cordis calorem ita afflictum & oppreſſum fuiſſe, ut nullâ reſpiratione indiguerit. Hoc pulchrè exemplo Acilii demonſtratur, cùm enim rigidus & frigidus ſine ulla eſſet reſpiratione, adeoque pro gentis illius more in rogum exportaretur ſimul ac externus ille ignis accenſus, internum calorem ſopitum reſuſcitaret, ſtatim, fruſtra tamen, cùm ignis jam undique accenſus, vires obtinuiſſet, ſe vivere acclamavit. Simile quid de Pamphilio ibidem Valerius recenſet. Sin recentia deſideras exempla, unum atque alterum accipe. Primum accidit Madritii in Hiſpania, ubi, ſi hiſtoriis fides eſt habenda, nobilis quædam matrona ex familia Don. Franciſci Laſſo oriunda, poſtquam per triduum in agone decubuiſſet, putantibus cognatis eam mortuam eſſe, deportata fuit ad locum ſubterraneum ſepulturæ deſtinatum. Poſt aliquot autem menſes oſtio ſepulchri iterum recluſo, repertum fuit cadaver priore in loco adhuc repoſitum, in dextro brachio infantem mortuum tenens. Unde apparet, dictam matronam, cùm ſepulta fuit, verè non obiiſſe, ſed infelicem infantem adhuc peperiſſe. Simile quid Weiſſenburgi accidit. Uxor enim Simonis Kreuteri in nonum menſem gravida, ſupervenientibus pariendi

doloribus expiravit: cúmque adſtantes putarent, fœtum quoque expiraſſe in utero, mortuam, illorum quidem judicio, matrem, more ſolito in terram poſuerunt, linteisque contectam reliquerunt. At verò poſt aliquot horas vagitum audiunt, accurentes matrem quidem mortuam, filiolam verò optimè valentem ad pedes matris devolutam reperiunt. Credibile certè eſt, matrem tum demum verè exſpiraſſe, quando partus in lucem prodiit, alioqui à mortuâ matre excludi haud potuiſſet. Filia illa Eliſabeth dicta adhuc in vivis eſt, Weſſingæ degens in Marchionatu Badenſi. Licet autem nonnulli exiſtiment, levem & inſenſibilem quaſi reſpirationem in prædictis caſibus reſtare, ex ſequentibus tamen rationibus convincitur, omnem omnino reſpirationem vitâ remanente, poſſe tolli. Prima ratio: ſi prædictæ fœminæ externum aërem inſenſibiliter attraxiſſent, proculdubio ab aëre in ſepulchro undique incluſo ſtatim extinctæ fuiſſent. Addo alia ad probandum inſtitutum duo clariſſima exempla, quorum alterum ante annos 26 Baſileæ; alterum Baccharaci ante duodecim accidit. Utrobique fœminæ ob malefacta in Rhenum fuerunt conjectæ, cumque ſub flumine ad terminum ſuffocandis præfixum perveniſſent, vivæ fuerunt extractæ. Hujus conſervationis cauſa nulla alia eſſe poteſt, quàm quòd calor ex nimia conſternatione extremisque ſupervenientibus animi deliquiis ſuppreſſus, nullâ, neque per os, neque per nares, reſpiratione opus habuit. Alioquin

ratione

ratione maximæ illius diſtantiæ à loco nimirum, ubi injectæ fuerunt, ad locum, ubi extractæ, nullo modo ſervari potuiſſent. Quinimò quod Baccharaci obſervatum fuit, nec venter tumentior quàm antea, conſpectus fuit: quod indubitatam fidem facit, fœminam non reſpiraſſe. Huc refero ſegetes nive undique contectas, quæ ſi hyberno tempore reſpiratione indigerent, non minùs ſuffocarentur, quàm ſi æſtatis tempore contectæ pereunt. Cæterùm Galenum quod attinet, notandum, ipſum in locis ſuprà citatis includere tranſpirationem, quæ fit per univerſæ cutis poros: quaſi dicat Galenus: impoſſibile eſſe, vitam ſubſiſtere poſſe, ſublatâ omni reſpiratione & tranſpiratione. Quemadmodum enim reſpiratio magno cordis calore exiſtente à vita ſeparari nequit: ſic tranſpiratio, calore imminuto & oppreſſo ad ſustentationem vitæ ſufficit. Tantum ſiquidem aëris per poros cutis ingreditur, quantum afflicti caloris conditio requirit. Porrò aërem per tranſpirationem corporibus communicari, nec parum vitæ conſervandæ conferre, vel inde apparet, quòd pori cutanei à ſummo rerum opifice fruſtra facti non ſunt. Quinimò ſub humido cæli ſtatu experimur, univerſum corporis habitum madore ſuffundi. Cùm ergo humiditas per poros cutis ingrediatur, multò magis aër, qui tenuior eſt, ingredi poterit. Denique experimur, corpora craſſa & pinguia apoplexiæ, aliisque ſuffocationibus maximè

obnoxia eſſe, eò quòd pori cutanei multâ pinguedine obſtructi, liberam tranſpirationem impediunt: unde calor ſuffocatur & extinguitur. Quapropter cùm tantam vim unica tranſpiratio corpori ſuppeditet, minimè dubitandum, quin oppreſſo cordis calore, vita hominis ſolâ tranſpiratione conſiſtere, & ad tempus conſervari poſſit.

QUÆSTIO VI.

An homo ſine cibo & potu ultra ſeptem dies vivere poſſit?

Concluſio affirmativa.

HIppocrates in lib. de carnibus memoriæ prodidit, hominis vitã ſine cibo & potu ſeptem dierum eſſe, quaſi dixerit, hominẽ ultra ſeptimum diem inediam ferre, & ab omni potu & cibo ſine vitæ diſcrimine abſtinere non poſſe. Cum hac Hippoc. ſententia cõſentit exitus Jugurthæ, quem Plutarchus in vita C. Marii in ſextum uſq; diem abſque cibo & potu in carcere ſuperſtitem, & vitæ deſiderio adhuc ſuspenſum, dignas ſuis crudelitatibus pœnas dediſſe refert. At verò Savonarola tract. 6. c. 13. mentionem facit cujusdam Almerici, qui quatuor menſibus integris neque bibit neq; comedit. Tragus etiam in cap. de pane meminit cujusdã Margaretæ Rhodiæ, quæ ab omni potu & cibo ultra ſedecim menſes vitã produxit. Accedit Simon Portius Medicus, qui libellum edidit de quadam virgine Germaniæ, quæ duobus annis

ſine

ſine cibo & potu vixit. Præterea in territorio Tullenſi puella 12. annorum primùm à pane, deinde ab omnibus cibis & potu abſtinuit, & per triennium jejunavit: extat hæc hiſtoria in libello rerum à Carolo Magno geſtarum; Coloniæ apud Birckmannum impreſſo.

Denique notabile exemplum noſtrâ ætate accidit in pago Schmidweiler/Electoralis Palatinatus, ditionis Lautreæ, ubi virgo quædam nubilis à nuptiis domum rediens, primùm calidos cibos, deinde omnes alios faſtidire cœpit, & in ſeptimum annum neque comedit, neque bibit quidquam, corpus verò uſque adeò fuit extenuatum, ut ſceletum potiùs quàm humanum & carnoſum corpus videretur. Cùm hæc res magiſtratui eſſet ſuſpecta, & clanculum aliquid devorare putaretur, cuſtodes fuerunt adhibiti, à quibus dies atque noctes obſervaretur, nec tamen dolus aliquis animadverſus fuit. Memorabilem hunc caſum non miraculosè, ſed ex cauſis naturalibus contigiſſe, in publica doctorum promotione eruditiſſimè à D. Theophilo Madero demonſtratum fuit. Deniq; memorabilem novem annorum inediam cujusdam Apolloniæ in ditione Bernenſium, ſuperioribus annis, typis excuſam reliquit Paulus Lentulus, de qua compertum non habeo, an ad ſe redierit, an è vivis exceſſerit. Plura exempla qui cognoſcere cupit, inſpiciat Cœl. Rhodig. lib. 13. Antiq. lect. cap. 24. & Foreſtum lib. 10. obſ. 40. Quapropter pro Hippocrate unicum hoc reſpondiſſe ſufficiat, homines integrè ſanos ultra ſeptem dies jejunare non poſſe, exempla verò in medium addu-

ĉta, in corporibus morboſis plurimùm afflicto calore nativo,& ventriculo crudis & viſcoſis humoribus planè occupato,ubi nullus ſuctionis vel appetentiæ ſenſus ſe exerere potuit,accidiſſe palàm eſt.

QUÆSTIO VII.

An homo ſicut beſtiæ pingueſcere poſſit, ſi ſufficienti cibo alatur?

Concluſio negativa.

IN animantium genere ita comparatum eſſe videmus,ut omnia ſaginentur,& pingueſcant, ſi idoneo & ſufficienti pabulo nutriãtur, homines verò optimis etiam exhibitis alimentis non ſimili modo omnes pingueſcunt. Etſi verò, quantum ad homines attinet, potiſſima pinguedinis cauſa ipſi temperamento imputatur (videmus enim corpora phlegmatica omnium maximè pingueſcere,cholerica verò gracilia & macilenta permanere) dubium tamen non eſt, animantia bruta citra diverſorum temperamentorum reſpectum,ſi modò integrè ſana habentur,indifferenter pingueſcere. Quapropter hujus diverſitatis rationem explorantibus, tres potiſſimùm cauſæ ſuccurrunt, quæ obeſitati in hominum genere reſiſtunt. Prima cauſa eſt ciborum maxima varietas & disſimilitudo. Sunt enim homines voraciſſimi & multiplici potiùs quàm ſimplici victu delectantur. Cùm igitur dulcia, auſtera, acerba, acida, omniumque ſaporum

ali-

alimenta indifferenter ingerant, variisq́; vini aliarumq́; potionum generibus utantur, fit, ut commodè nutriri nequeant. Contrà verò animantia bruta ſimplici alimento contenta maximè nutriuntur & pingueſcunt. Huc pertinet etiã, quòd nonnulli ad paſtum certum tempus non obſervant: unde inæquales fiunt concoctiones, quæ nutritionem maximè impediunt. At inquis: Cornelius Celſus lib. 1. c. 1. nec certum paſcendi tempus obſervandum, nec ullum cibi genus, quocumque populus utitur, intermittendum vel fugiendum eſſe præcipit. Ad hanc objectionem reſpondetur. Non eſſe Celſi ſcopum aut intentionem præſcribere modum optimè nutriendi, vel pinguefaciendi corpora, ſed tantùm quomodo naturæ & conſuetudini ſit indulgendum. Altera cauſa eſt immoderata venus, vel ipſæ etiã venereę cogitationes. Cùm enim animantia bruta ferè omnia ſolius naturæ ductu certum ac definitum habeant coëundi tempus, ſolus verò homo certum tempus non obſervet, ſed pro libera voluntate frequentiori venere utatur, fit ut homines mirificè extenuentur & gracileſcant, contrà verò animalia pingueſcant. Hujus rei manifeſtum habemus in caſtratis animalibus exemplum, quæ, cum Veneri indulgere non poſſint, omnium maximè pingueſcunt. Tertiam & potiſſimam cauſam in curas animique ſolicitudines conferendam exiſtimo. Cùm enim ſolus homo variis & diverſis curis animique affectibus mirificè afficiatur, curæ verò, ut ſacra ſcriptura Prov. 17. v. 22. loquitur, ipſa etiã oſſa exſiccent, mirum non eſt,

omnia animantia, curis ſoluta pingueſcere, hominem verò curis obnoxium contabeſcere. Hoc etiam apparet in monachis, canonicis aliisq; hujus conditionis hominibus, aliorum labore & ſudore, in otio, ſine rei familiaris & œconomiæ curis, victum quærentibus, qui utplurimum præpingues ſunt & ventricoſi.

QUÆSTIO VIII.

An hominis epar ſupra diaphragma ſit poſitum?

Concluſio negativa.

QUanquam Matthias Ortelius Antuerpienſis ſine epate, factâ poſt obitum illius disſectione, inventus, epar etiã quandoque in ſiniſtro latere interdum inuſitatæ magnitudinis, interdum fibroſum, hirſutum, viſum fuerit, ut quidem Camerarius, Sylvius, Palma, Aquapendens, & alii in obſ. teſtatum reliquerunt, nunquam tamen, quod norim, epar ſupra diaphragma viſum fuit: & ſi maximè viſum fuiſſet, prodigioſum tamen & monſtroſum potiùs quàm naturale fuerit, naturaliter ſiquidem ſub diaphragmate in latere dextro collocatur. Ex philoſophis tamen ſummus Ariſtoteles lib. 1. hiſtor. animal. cap. 17. inquit, ὑπὲρ δὲ τὸ διάζωμα ἐν μὲν τοῖς δεξιοῖς κεῖται τὸ ἧπαρ, hoc eſt, ſupra ſeptum, in dextro quidem latere poſitum eſt epar. Cùm igitur hæc Ariſtotelis ſententia omnibus Anatomicis, & oculari demonſtrationi manifeſtè adverſetur, nec tamen cogitare liceat, ſummum philoſophum & rerum natu-

ralium

ralium ſcrutatorem in re tam aperta hallucinatum eſſe, commoda verborum Ariſtotelis interpretatio laudem merebitur. Hanc ego laudem fideliſſimo Ariſtotelis interpreti & defenſori acerrimo, D. Zabarellæ in Gymnaſio Patavino Profeſſori celeberrimo, deberi exiſtimo, quem aliquando pro lectione dicere memini, Græcam vocem ὑπὲρ non ſemper ſignificare ſuper, vel ſupra, ſed ultra. Dixerit igitur Ariſtoteles, Hepar poſitum eſſe ultra ſeptum transverſum. Cùm enim unus & idem diſſecandi corpora proceſſus non obſervetur, ſed quandoque initium à pedibus, interdum ab imo ventre, vel à pectore fiat, ſine dubio Ariſtoteles initium ab ipſo capite fecit, deorſum procedendo ad pectus, quod ſepto transverſo terminatur. In pectoris verò diſſectione vel contemplatione dicere licuit, Hepar poſitum eſſe ultra ſeptum. Hæc interpretatio niſi admittatur, ſine dubio graviſſimè erravit Ariſtoteles.

QUÆSTIO IX.

An epatis fruſtula per alvum excerni poſſint?

Concluſio negativa.

INcidi ante ſemeſtre in literas cujusdam, qui medicinam exercendi licentiam ſibi ſumpſit, in quibus concionatori cuidam mihi probè & familiariter noto, conſilium communicans, inter alia ſic erat ſcriptum: *Pulmonem & epar vitiatum eſſe non dubito; pulmo enim bile flavâ & phlegmate*

oneratur:epar verò fruſtulatim jam excernitur, bono tamen ſis animo,hac enim vice non morieris.

Audaciam ſpecta, inſcitiæ haud minori conjunctam. Si enim epatis,nobiliſſimi viſceris fruſtula excernuntur,quænam audacia major excogitari poſſet, quàm ſecuritatem polliceri, quod nec ipſe feciſſet Æſculapius. Tantâ etiã facilitate, inſpecto forſan ſolo lotio, cauſam ægritudinis in pulmonem & epar conjecit, quaſi tantus ſit horum viſcerum conſenſus mutuus, ut vix unum ſine alterius vitio, integrum eſſe poſſit. Equidem imperitiſſimis quibusque medicaſtris nîl tam in ore frequens, quàm clamitare,epar & pulmonem laborare,quibus reſponſis,conſulentes rerũ ignari,ſibi abunde ſatisfactum eſſe arbitrantur,modò habeant quod ſuis renuntient, neſcientes interim ubi vel epar vel pulmo locum habeat,vel quis conſenſus inter partes iſtas interveniat. Millies tales audias reſponſiones & prædictiones, cùm tamen ſæpiſſimè neutrum viſcus, multò minùs utrumque laboret.Sed transeant iſta cum reliquis erroribus. Cùm verò in literis expreſſum haud fuerit, quorſum iſta epatis fruſtula,per alvúmne vel per veſicam excreta fuerint, & alioquin non parva ſit inter Medicos disputatio,an epar fruſtulatim excerni poſſit, ideò tria inveſtigare placuit. Primum,an epatis ſubſtãtia quocunq; modo disſolvi & fruſtulatim excerni poſſit? Secundum,per quasnam vias talis excretio fiat? Tertium,an epate fruſtulatim excreto,æger priſtinam,eamque integram valetudinem recuperare poſſit?

Ad primum reſpondemus,epar quidem disſolvi,&

vi,& computreſcere poſſe,moti ratione & authoritate celeberrimorum Medicorum. Cùm enim conſtet,pulmonem,renes,ipſum etiam cor variis abſceſſibus & putrefactionibus tentari,cur idem epati non accideret?Accedit authoritas Herculis Saxoniæ in obſ. Capivaccii lib. 3. pract. cap. 23. Camerarii in obſ. Fernelii lib.6. path. cap.4.Hollerii obſ. 30. Jacotii in com. Coac. Hipp. Eraſti de febribus putr. Bauhini in obſ. Reuſneri de ſcorobuto exerc.4.Garneri in obſ.Trincavellæ lib.3. de comp. med. cap. 27. Rondeletii lib. cur. morb. c.44.Omnium tamen maximè notabilis eſt caſus, quem refert Mermannus, ſe in disſectione quadam vidiſſe epatis ſubſtãtiam totam putrefactam veluti in ſacco concluſam, urinâ non multùm à naturali recedente.An verò epar quocunq; modo fruſtulatim excerni poſſit, dictu eſt perdifficile. Quanquam enim Gradus in com.ad lib.9.Rhaſis cap.7.affirmet,ſe curaſſe quendam,de cujus epate fruſtula quædam exierint per alvum,tamen multi judicant,illa fruſtula nón de ſubſtantia epatis, ſed ſanguinis congelati particulas fuiſſe. Julius quoque Alexandr.in Annot.ad c. 6. lib.8. Galen. de comp. med. Hoc, inquit, teſtari poſſum,viſas eſſe à nobis particulas epatis per alvum ejectas.Sic Hofmannus lib.5.Epiſt.Cratonis.Epar ex uſu vitriolatorum medicamentorum disſolutum & fruſtulatim excretum vidit.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondet Savonarola Tract.6.c.14.Rub.7. Si epar in ſima ſui parte ſuppuratur,per alvũ fit egeſtio,eò quòd manifeſta via per venas meſaraicas datur:ſin in parte gibba,

per urinam, auxiliante ſcilicet venâ cavâ & emulgentibus. Hinc forſan inferri poſſit, fruſtula epatis per easdem vias efferri poſſe, per quas etiam ſuppuratio. Si dixerimus venas illas anguſtiores eſſe, quàm ut fruſtulis epatis transitum concedant, reſpondebunt alii, per venas capillares meſaraicis longè anguſtiores excerni contenta urinæ petaloydalia, furfuracia, crinoydalia, ergo & fruſtula epatis per meſaraicas excerni poſſunt. Sed hisce reſpondemus, maximam eſſe disſimilitudinem inter prædicta urinarum contenta mollia & liquida, & fruſtula epatis. Illa enim arctari poſſunt, hæc nunquam. Ex hisce igitur liquet, quid ad tertiam quæſtionem ſit reſpondendum, impoſſibile ſcil. eſſe epar membrum nobilitate & uſu minimè poſtremum, ipſius ſanguificationis organum primarium, fruſtulatim excerni poſſe ęgro priſtinam valetudinem recuperante.

Quapropter cum Gordonio cap. 14. part. 5. de paſſ. inteſt. Et Savonar. Tr. 6. cap. 14. rub. 7. concludimus, ægrum, quocunq; modo epar deſtruatur vel fruſtulatim excernatur, ſuperſtitem manere nullo modo poſſe. Ab hac ſententia non eſt alienus Reuſnerus cap. 19. prob. urin. inquiens, non quæritur hîc, an epar citra animalis interitum fruſtulatim excerni, ſed an citra animantis interitum cum urina reddi poſſit, quaſi dicat, ſuppurari & cum urina reddi poteſt, non tamen citra vitæ diſcrimen.

Apparet ergo, quibus nugis & mendaciis conſilium præfato paſtori præſcriptum vel confictum fuerit, quippe qui intra menſis ſpatium à morbo

morbo, qualiscunq; is fuerit, naturâ potiùs quàm artis beneficio liberatus, integrâ valetudine Dei Opt. Max. gratiâ adhuc vivit, & hominis vaniſſimi nugas deridet.

QUÆSTIO X.

An cor in ſiniſtro latere ſit poſitum?

Concluſio negativa.

DE corde non ſine cauſa quæritur, an in ſiniſtro thoracis latere poſitum ſit, quod nonnullos, qui in Anatomicis etiam exercitati haberi volunt, ſentire video. Communis quidem vulgi opinio, & pulſatio ſub ſiniſtra mamilla apparens, cor in ſiniſtro latere collocare videntur. Cùm verò contrarium ocularis inſpectio teſtetur, in qua meritò acquieſcendum eſſet: ſenſibilium enim rerum alius judex eſſe nequit, quàm eſt ſenſus, ut inquit Galenus lib. 2. de temper. c. 2. Attamen cùm præclara ſit Ciceronis ſententia, Orat. 3. Philip. magnum numen eſſe, magnamque vim habere, ſi plures unum & idem ſentiant, ideò liceat mihi præter ocularem inſpectionem, quæ fidem non fallit, veterum & recentiorum clariſſimorũ Anatomicorum unanimem conſenſum de corde in mediâ thoracis parte collocato, in medium adducere. Galenus lib. 2. de placit. Hippoc. & Plat. c. 4. Cor collocatum eſt in medio pectore. Gal. lib. 7. de adminiſt. Anatom. c. 7. cor intra utraq; pectoris latera medium occupat: ex motu tamen apparet, quaſi in ſiniſtra potiùs parte collocatum ſit,

ſed hoc fit propter ſpiritus conceptaculum. Baſis autem cordis intra lævam dextramque regionem exactè media eſt, ſicuti mucro ſiniſtrum latus reſpicit. Galen. ibidem cap. 7. Pericardium cordis baſin coronæ modo ambit, & vertex turbinis modo juxta cordis verticem ſitus, infernæ regioni oſſis pectoris cohæreſcit. Galen. comment. 2. in 6. Epid. text. 44. Cor in medio pectore poſitum eſſe, & non in ſiniſtro latere, ſæpe vidiſtis. Galen. 6. de uſu part. cap. 2. Natura collocavit cor in medio pectoris ſpatio, loco, ſcilicet, ad firmitudinem aptiſſimo, & ad æqualem refrigerationem commodiſſimo. Galen. ibidem. cap. 7. Non fuit à naturâ alienum, ut cor maximum eſſet, & medium in pectore locum obtineret. Aretæus lib. 2. In medio pulmone cor reſidet. Oribaſius lib. 24. cap. 15. Cor in media pectoris capacitate collocatum eſt, pulmones illud ambiunt. Ruffus lib. 1. cap. 11. Στέρνον (os pectoris) ſub quo cor collocatur. Fernelius. lib. 1. Phyſiolog. capit. 8. Sub pectoris oſſe cor reſidet. Fuchſius lib. 1. ſect. 5. Cor in homine ſuâ baſi, quæ nobiliſſima ipſius pars eſt, dextræ ſiniſtræque ſedis medium exactè obtinet. Fallopius in hiſtoria cordis, Cor collocatur in medio pectoris centro. Montaltus. lib. 1. de homine ſano c. 7. Dextra manus validior & agilior eſt ad operandum, non autem (ut malè nonnulli aſſerunt) propter cordis ſitum. Cor enim omnino in medio pectore eſt, ut ipſa docet Anatome, quamvis propter pulſum vehementiorem caloris & ſpirituum vitalium ratione in læva parte magis ſentiatur.

tiatur. Savonarola tract.6. cap. 11. ſicut rex in regno, ſic cor in medio pectore reſidet. Dryander in chirurg. Cor in medio pectore collocatur, extremitas verò cordis parum in ſiniſtrum latus inclinat. Varolius lib. 2 cap. 9. In medio pectoris cor ipſum eſt. Veſalius lib. 6. cap. 9. Cor in quadrupedibus non ſolùm ſecundùm baſin, ſed etiam ſecundùm mucronem in medio pectore ſitum eſt, in hominibus verò in medio quidem poſitum eſt, mucro tamen in ſiniſtrum latus vergit. Laurentius text. 27. Cor in media pectoris ſede locatur, ſicut rex in regia. Idem text. 489. mucro pericardii cartilaginibus ſterni inſeritur. Cùm igitur ſternum in medio ſit, & pericardium cor involvat, utique & ipſum cor in medio erit. Idem text. 495. Cor ſitum eſt in media pectoris parte, quantum enim baſis diſtat à jugulo, tantum etiam à diaphragmate; quantumque removetur ab oſſe pectoris, tantum etiam à vertebrarũ corporibus. Deniq; à dextris & ſiniſtris coſtis æqualiter abſcedit, Paræus lib. 3. Anatom. cap. 11. Cor in medio pectoris ſitum eſt, putant tamen nonnulli illud magis deflectere in ſiniſtrum latus, quia illic ejus agitatio percipitur, quamvis hoc fiat propter ſiniſtrum cordis ſinum, in quo ſunt ſpiritus vitales, itemque propter arterias pulſatiles, quæ ibidem oriuntur. Bauhinus cap. 20. lib. 2. Theatr. Anat. Situm eſt cor in medio thoracis ſinu, nobiliori loco, tanquam princeps quidam, & illarum partiũ modo, quæ, cũ unicę ſint, mediũ occupant, tum ob ſecuritatem, tum ut corpus in æquilibrio

ſit, ad quintam coſtam à pulmonis lobis, tanquam digitis in orbem complexum, ut æqualiter ex toto pulmone per arteriam venoſam, ſpiritum attrahat, & per venam arterioſam ſanguinem largiatur, & per arteriam magnam, vitam caloremque æqualiter in omnia extrema diffundat, capſulaque propriâ cuſtoditur, ita tamen, ut baſis quo ad dextram & ſiniſtram, ſuperiorem & inferiorem partem, exactè mediam obtineat. Cæterùm præter hæc luculentiſſima clariſſimorum Anatomicorum teſtimonia, non deſunt rationes, quibus omnia iſta confirmari poſſunt, omiſſis tamen omnibus aliis, unica nobis ſufficiat. Pulmones cordis gratiâ factos eſſe, & illud circum circa ambire, nemo unquam negavit, ut nimirum calorem ipſius attracto aëre frigido contemperent & fuligines expellant. Jam verò ſi cor in ſiniſtrum latus conjectum eſſet, ſequeretur, vel majorem pulmonum partem dextrum cordis latus occupare, vel ſi pulmones æqualiter cor ambiunt, ut certè faciunt, non poſſe partes pulmonis ſiniſtrum latus occupantes liberè & æqualiter moveri & extendi, proinde ſive hoc ſive illud ſtatuatur, neceſſariò ſequitur, ſiniſtram cordis partem, quæ tamen omnium Philoſophorum & Medicorum ſententia, dextrâ parte longè eſt calidior, minus convenienter refrigerari & contemperari poſſe, id quod inter alios Galen. loco cit. 6. de uſu partium c.7. obſervavit.

Erravit igitur natura, quòd parti minùs calidæ plura dedit refrigerandi inſtrumenta, quàm parti calidiſſimæ: ſin utrique parti æquales folles (ut ſic

ſic loquar) impertivit, malè fecit quòd inæquale ad extenſionem & attractionem aëris frigidi ſpatium conceſſit. Verùm in hoc negotio tria paulò accuratiùs conſideranda ſuperſunt. Primum eſt, quòd vocabula iſta (extremitas cordis in ſiniſtrum latus vergit, tendit, inclinat, exporrigitur, deflectit, reſpicit, &c.) minimè hoc volunt, quaſi in ſiniſtrum latus omnino perveniat: nam ſi eo uſque perveniret, nimis magna, inuſitata & monſtroſa cordis ſubſtantia eſſet. Hinc patet, Medicos quosdam durioribus, alios convenientioribus vocabulis uſos eſſe. Durior certè & impropria locutio, cordis extremitas in ſiniſtrum latus exporrigitur; mitior & convenientior eſt, extremitas cordis ſiniſtrum latus reſpicit. Sed neque dura iſta locutio quidquam huic ſententiæ adverſatur: quemadmodum enim non ſequitur, Petrus conſiſtit in monte & manum exporrigit in vallem: Ergo manus Petri eſt in valle: Sic minimè ſequitur, Cor ſitum eſt in medio pectore, extremitas verò cordis in ſiniſtrum latus exporrigitur: ergo cor in ſiniſtro latere conſiſtit.

Alterum, licet cor ſuâ extremitate ſiniſtrum latus reſpiciat, major tamen reſpectus haberi debet ad cordis baſin, quæ, ut rectè monet Fuchſius, nobiliſſima ipſius pars eſt, quàm ad mucronem, quem Galen. 6. de uſu part. cap. 7. abjectiſſimum & ignobiliſſimum vocat. Hinc etiam Laurentius loco cit. inquit, meliùs baſi tanquam nobiliori quàm mucroni à natura proſpectum eſſe.

Tertium, quòd pulſatio, quæ ſub ſiniſtra ma-

milla percipitur, minimè eſt ab ipſo corde immediatè, (hac enim in parte plurimos decipi certum eſt) ſed potiùs ab arteriis è ſiniſtro cordis ſinu emergentibus, & hinc inde in corporis habitum, parteſque cutaneas diſperſis. Cùm enim cor in medio ſit, & capſula ipſius, quam pericardium vocant, beneficio mediaſtini ſatis à cordis ſubſtantia divellatur, vix fieri poteſt, ut anteriorem capſulæ partem ſuâ pulſatione (de naturali & ſedata loquor) attingat: Ergo multò minùs interna pectoris latera contingit, niſi extra propriam capſulam, quæ extremitate ſua medio pectoris oſſi annexa eſt, efferatur, & pulmones, quos cordi circum circa obductos diximus, validè & moleſtè comprimat.

QUÆSTIO XI.

An purulenta materia in thorace contenta per ſiniſtrum cordis ſinum, ad vias urinæ transferri poſſit?

Concluſio negativa.

INter alios thoracis morbos, empyema ſeu ſuppurationem in thorace collectam, felici cum ſucceſſu per renes & veſicam urinariam quandoque evacuari, non pauci ſunt experti. Primus omnium videtur eſſe Hipp. qui lib. 3. de Int. Aff. text. 21. inquit, pleuritici tertiâ aut quartâ die ſaniem mingunt ſubcruentam, &c. Idem in coac. præn. Pleuriticis urina cruenta, ſubſidentia varia

indis-

indiſcreta,&c.In eodem lib.in doloribus pleuriticorum bonum eſt,inquit,urinam commodè procedere. Ex recentioribus occurrit Benivenius de Abdit.c.43.inquiens:oritur ſæpè in laterib. morbus, quē pleuritidem vocant,huic tuſſis accedit,& exſcreatur cum pituita ſanguis, grave profectò & intolerabile malum.Hoc cùm affligeretur Antonius quidam,& morbus ad maturitatem perveniret,evacuato per urinam pure,quod rarò contingere ſolet,penitus ſanatus eſt æger. Idem teſtatur Alex.Bened.lib.3.c.9.Anat. Culmannus in Epiſt. ad Schenck.Dodonæus in ſcholio ad cap.Benivenii.Langius in epiſt.4.tom.2.Hollerius in com.ad Aph.66.lib.3.Jul. Alexand.in com.ad cap.4.Gal. lib.5.loc. Affect. & Aquapendens lib. 2. chirurg. c.22.De via autem per q̃ ſuppuratio iſta ex thorace ad vias urinæ defertur, magna eſt difficultas. Laurentius cap.10.operis Anat.quæſt.13.omnibus ingenii viribus ex Hipp.& Gal.evincere conatur, purulentam thoracis materiam à pulmonibus excipi, & ab iis per arteriam venoſam in ſiniſtrum cordis ſinum deferri,ex quo ulteriùs in arteriam magnam,& porro in arterias emulgentes viasque urinæ deferatur.In hujus ſententiæ confirmationem adducit duos caſus. Primum deſumpſit ex Hollerii com. ad coac. Hipp. & ex cap. de ardore urinæ.Mulieri cuidã,inquit Hollerius, purulenta urina cum cruciatu magno profluebat: mortua poſt quartum menſem & diſſecta, duo calculi in in corde inventi ſunt,cum multis parvis abſceſſibus:renibus eorumq; viis illæſis.Alterum caſum adducit ex propria obſervatione; Honeſtiſſimus,

inquit, civis Monſpelienſis per triennium melancholiâ laboraverat, quæ tandem, acutâ febre ſuperveniente, hominem è vivis ſuſtulit. Ante obitum tamen per menſem, bis in die animi deliquio corripiebatur, & cum modico urinandi ardore, incredibili verò mejendi deſiderio: profusâ autem prætenui & fœtidâ urinâ, ſtatim ad ſe redibat. Disſecto corpore, totam thoracis cavitatem, rubro eoque tenui & fœdiſſimo humore oppletam invenimus, nec non cordis ſiniſtrum ſinum eodem humore plenum. Ex hisce caſibus Laurentius demonſtrari poſſe arbitratur, pus thoracis in ſiniſtrum cordis ſinum aſſumi, & inde per arterias ad renes deferri, cùm tamen altum ſit in utraque hiſtoria ſilentium de pure in arteriis viſo. Demus enim, in corde viſum eſſe abſceſſum putridum; demus etiam, per urinam tale quid redditum, nondum tamen manifeſtè probatum, tale pus per arterias fluxiſſe. Nec ſanè propter indeſinentem & perpetuum arteriarum motum ex ſyſtole & diaſtole conſtantem per arterias profluere potuit, quantum enim per dilatatas & extenſas arterias illaberetur, tantum etiam per conſtrictionem è veſtigio inſequentem, repelleretur & extruderetur, quod non obſcurè docet Galen. lib. 5. loc. Aff. c. 3. quòd verò idem Galen. lib. 2. meth. cap. 5. aliter ſentit, & pus thoracis per arterias ad renes ad vias urinæ transire aſſerit, minimè recipiendum exiſtimo. Primùm, quia Galeni inconſtantia ex locis ſibi contrariis eluceſcit. Deinde, quia graviſſimi peritiſſimique anatomici aliud docent. Tertiò, quia talis puris trans-

itus

itus per ſiniſtrum cordis ſinum, indeque diffuſas arterias ab omni ratione abhorret. Inter alios verò percelebres Anatomicos non eſt poſtremus Fallopius, qui pus thoracis per venam ἄζυγον ſine pari dictam cum vena emulgente congredientem ad urinæ vias derivari, non ſolùm docuit, ſed in duabus Anatomiis adeò clarè demonſtravit, ut Archangelo aliisq; ſpectatoribus nullus dubitandi locus relictus fuerit. Hanc ipſam ſententiam tuetur Matthiolus lib.1. Epiſt. contra Galenum, & inventorem hujus vię ſeu venæ ſine pari profert Nicolaum Novocomenſem, Venetorum Medicum peritiſſimum. Aquapendens quoque hanc ſententiã amplectitur lib.2. cap.22. chirurg. Denique Bauhinus libr.2. Theatr. Anat. c.18. elegantiſſimè demonſtrat, quomodo vena ſine pari ſub diaphragmate cum venis emulgentibus uniatur, & pus thoracis ad urinæ vias deferat.

Rationes quod attinet, quanquam illa de perpetuo arteriarũ motu allata, pro multis aliis ſufficeret, addamus tamen & hanc, quam arteriarum miniſterium ſuppeditat. Conſtat enim, factas eſſe arterias, ut puriſſimum & lucidiſſimum ſpiritum vitalem per univerſum corpus deferant, & fuligines quasque, à quibus iſti ſpiritus puriſſimi offenderentur, excludant. Cùm ergo hoc ſit arteriarum officium, & ſpiritus vitalis, ne fuligines quidem ferre poſſit, quis niſi mente captus credat, ſaniem in empyemate aliisq; thoracis ſuppurationibus per ſiniſtrũ cordis ſinum, ſpiritus vitalis officinã & arterias, criticè, ut inquit Laur. evacuari? An duobus & quidem diverſiſſimis miniſteriis ar-

teriæ ſufficiunt? Hîc verò aliquis multis argumentorum telis ex Gal.lib.3 de fac.natural.c.13.armatus, inſurgat. An non venę meſaraicę inquiens, chylum ex ventriculo ad epar exportant, iterumq; ſanguinem ab epate ad ventriculum aliasque vicinas partes alendas reportant? an non reliquæ venæ ſanguinem ad alendum totum corpus deferunt, ſimulque exhibito pharmaco purgante, ſupervacanea corporis revehunt? An non gula cibum in ventriculum transmittit, in nauſea verò & vomitu vitioſa quæque per eundem expellit? An non uteri cervix ſemen prolificum attrahit, & viciſſim fœtum per eandem expellit? Verùm ad hæc & ſimilia plura, quæ ex loc.cit.adduci poſſunt, reſpondetur, Galenũ de ejusmodi miniſteriis agere, quæ quandoque ſuspendi, quandoque perfici, & diverſo omnino tempore diverſimodè agere poſſunt: eo namque tempore, quo chylus ad epar defertur, ceſſat ſanguinis ab epate transmiſſio, quanquam nonnulli ſunt, qui quasdã venas meſaraicas chylo importando, quasdam ſanguini revehendo deſtinatas eſſe putant. Sic eo tempore, quo cibus per gulam ingeritur, nulla fit vomitio, & quando vomitur, nulla fit cibi ingeſtio. Imò quando vomitus vel ſola nauſea inſtat, nec mentionem quidem cibi aſſumendi ſuſtinere, multò minùs cibum ingerere poſſumus. Idem ad reliqua argumenta reſponderi poteſt. At verò ateriarum longè alia eſt conditio, quippe quæ indeſinenter ſpiritum vitalem vel trahunt, vel fuligines expellunt. Si dixeris tempore quietis, quæ inter ſyſtolen & diaſtolen media eſt, talem ſaniei influxum fieri,

tum

tum prius illud repetimus, nimirum in ſequentem arteriarum motum, quicquid ſaniei ad principium forſan magnæ arteriæ devenit, iterum repellere, miniméque fœdam iſtam colluviem admittere. Si quis inſtet, & indeſinentem quoque pulmonum motum objiciat, in quos tamen craſſa ſæpè phlegmata influunt. Reſpondetur, ampliſſimum eſſe pulmonum corpus, pluresque influendi & illabendi aditus, eoque potiſſimùm tempore illabendi occaſionem dari, quando in otio vivitur, & pulmones quaſi quieſcunt. Arteriæ verò unicum duntaxat aditum habent, qui nunquam quieſcit vel feriatur. Præterea ſi maximè concederetur, ſaniem in ſiniſtrum cordis ſinum, & arterias quandoque influere, nunquam tamen absque præſentiſſimo vitæ periculo fiet, id quod non ſolùm hiſtoria ex Hollerio adducta comprobat, ſed experientia quoque cum Avicenna teſtatur, cor ab omni fœtore graviter affligi, ut planè impoſſibile ſit, purulentam materiam innoxiè & criticè, ut inquit Laurentius, per cor & arterias ad vias urinæ derivari. An non ſpirituum vitalium officina, eorumque ductus fœdiſſimè à pure inquinarentur? Singularis profectò & admirabilis Dei creatoris noſtri ſapientia & majeſtas, ut in omnibus aliis operibus, ſic etiam in uteri muliebris ſtructura apparet. Cùm enim fœtus in utero concluſus, ſanguine materno alendus eſſet, duo venarum genera facta ſunt, unum quod in uteri fundum, alterum quod in ejusdem cervicem diſſeminatur, per illud fœtus nutritur, per

hoc verò ſanguis menſtruus periodicè evacuatur, ne, ſi fœtus per easdem venas alimentum capeſceret, per quas menſtruus ſanguis quandoq; excernitur, aliquod fœtui periculum ex defœdato alimento immineret. Quantò magis ſpiritui vitali proſpectum putabimus, ne à ſordibus purulentæ materiæ inquinetur? Ita profectò eſt in corpore noſtro comparatum, ut partes nobiliores excrementa ſua & quascunque injurias vel ipſo Gal. autore loc. cit. ad ignobiliores, & fortiores ad imbecilliores propellant. Quomodo igitur poſſibile eſt, thoracis latera, vel pulmonem corde ignobiliorem & infirmiorem, excrementa ſua in cor nobiliſſimum effundere? Huc referamus caſum Domini de Abbenbrouck regis Hiſp. œconomi, cujus pulmones, autore Foreſto, obſ. 51. lib. 16. in univerſum putridi, in membranula pulmones ſuccingente veluti in ſacculo deprehenſi fuerunt, in quo certè caſu, ſi Laurentii ſententia valeret, pus ſine ulla difficultate per arteriam venoſam in ſiniſtrum cordis ſinum ſubiiſſet; cùm tamen nihil tale deprehenſum fuerit. Sed quid multa? Si univerſam corporis humani ſtructuram conſideremus, apparebit, Deum partes quascunq; ignobiliores, utpote inteſtina, excrementorum fœtorem nunquam non exſpirantia, longè à corde removiſſe, ne ſpiritus vitalis ullo fœtore inquinaretur. Hinc eſt quod Fernelius lib. 5. path. c. 10. prodidit, quendam, cui particula puris in cordis arcem penetraverat, derepentè exſpiraſſe, impoſſibile ſiquidē eſt, cor fœtorem ſuſtinere. Unde & illud eſt, quod facundiſſimus Mercurialis, quæſtionem movens,

cur

ır putredo quotidie in inteſtinis gignatur, febres ımen putridæ non gignantur, dicebat, inteſtina onvolvi, & diaphragma inter cor & inteſtina in- :rjectum eſſe, ne putredinis & fœtoris particeps :ddatur. Cùm igitur Deus non uno, ſed multis ıodis cordi proſpexerit, ne tetro aliquo vapore ffenderetur, à philoſopho erit alieniſſimum, in am deſcendere cogitationem, pus in ſiniſtrum ordis ſinum & arterias inde emergentes, ſed po- ıùs in venam ἄζυγον, arteriis longè ignobiliorem, .t ipſe teſtatur Gal. loc. cit. de loc. Aff. efferri, & ad ias urinæ porrò derivari.

QUÆSTIO XII.

An lien fruſtra ſit conditus?

Concluſio negativa.

CIrca lienem mira occurrunt quorundam veterum deliramenta. Eraſiſtratus ſiqui- lem, ut eſt apud Gal. lib. 4. de uſu part. c. 15. exiſti- navit, lienem fruſtra eſſe factum. Ariſtoteles ıuoq; lib. 3. de part. An. cap. 7. lienem non niſi per ıccidens eſſe neceſſarium, docet. Præterea Ruffus ib. 2. de Appel. part. inquit, lienem eſſe membrum gnavum, nullo fungens miniſterio. Hoc ipſum orſan exemplo Hollerii in obſ. 5. confirmatum ıideri poſſet, ubi mulieris Pariſiis diſſectæ & ſine iene inventæ, mentionem facit. Huc quoque re- ferri poteſt, quod Plin. libr. 11. natural. hiſt. cap. 37. prodidit, homines in Cauno absque liene naſci. Unde forſan defluxit, quòd credula plebecula, lie-

nem equis & curſoribus, ut minùs defatigentur, ſine noxa exſcindi poſſe exiſtimat. Verùm quàm abſurda ſit iſta ſententia & blasphema in Deum, qui ne pilum quidem fruſtra creavit, multò minùs membrum tam conſpicuum, tot venis & arteriis nobilitatum, nulli ignotum eſſe poteſt. Rectè igitur Gal.lib.2.de fac.natural.cap.9 & lib.9.de med. loc.c.2.lib.6.de loc.aff.lib.1.de ſan tuend.de form. fœt. & in lib.de atr.bile. nec non Trall lib.8.c.12. & Orib.lib.24.collect.c.26.lienem membrum ad repurgandum in epate ſanguinẽ, craſſamq; illius fæcem melancholicã ad ſe alliciendam, & ulteriùs elaborandam, factum eſſe, contra deliria iſta demonſtrârunt. Quanquam autem tota fermè Medicorum poſteritas hanc de liene ſententiam hactenus comprobaverit, duas tamen ſententias novas de lienis uſu natas, & in ſcholas introductas eſſe videmus, quarum una authorẽ habet Ulmum Pictavienſem, qui in lib. quem de liene edidit, nobiliorem uſum lieni attribuit, aſſerens, lienem pro corde ſanguinem præparare, ex quo deinde ſpiritus vitalis generetur.

Altera ſententia eſt Fernelii cap.7. phyſiolog. Plateri, Bauhini & aliorum quorundam, qui lienem alterum ſanguificationis organum conſtituunt.

Ulmi ſententiam ſolidè, ut opinor, refutavit Laur.in opere anatomico.

Fernelii & aliorum ſententiam quod attinet, quanquam pro ſe Ariſtotelem loc.cit.& Aretæum libr.1.de cauſis & ſig.morb.chron. adducant, nihil tamen in iſtis authoribus occurrit, quo nova iſta opinio

pinio ſtabiliri poſſit. In Aretæo ſiquidem altum e lienis ſanguificatione ſilentium. Ex Ariſtotelis utem loco contrarium probari poſſe exiſtimo, lum inquit, contrarium quodque ad ſibi cognaum ordinem diſpoſitum eſt, verbi gratiâ, inquit Ariſtot. dextrum contrarium eſt ſiniſtro, lien in iniſtro hypochondrio contrarius eſt epati in lextro hypochondrio collocato. Sed miſſum faiamus Ariſtotelem & Aretæum; Bauhini, viri in rte Medicâ incomparabilis, ſententiam paulò leniùs cognoſcamus. Is autem capite 43. libr. 1. Theſaur. Anat. lienem duplici officio fungi aſſeit. Primùm docet cum Fernelio, lienem eſſe alerum ſanguificationis organum. Deinde cum Galeno quoque fatetur, eundem lienem ſuccum nelancholicum ad ſe pertrahere, & ſic ſanguinem n epate purificare.

Ad perficiendum primum miniſterium, dicit, ienem per ſurculos rami ſplenetici, ſiniſtro venriculi fundo implantatos aliquam chyli portionem attrahere, eamque in ſanguinem convertere, it ſe & proximas partes, omentum ſcilicet, meenteriam, inteſtina & ventriculum inde enuriat.

Ad ſecundum miniſterium perficiendum, inquit, lienem ex trunco venarum meſaraicarum, ſuccum melancholicum, antequam is ad epar pervenit, per ramum ſpleneticũ ad ſe allicere, eumq; ulteriùs elaborare & alterare, ita, ut quicquid meius elaboratum & alteratum eſt, in nutrimentum cõvertat, quicquid verò alterari nequit, partim in

ventriculum eructet, partim etiam ad venas hæmorrhoïdales expellat. Verùm, cùm conſtet in trunco venarum meſaraicarum, purum & impurum chylum virtute meſaraicarũ quodammodo alteratum, adhuc confuſum exiſtere, ſcire velim, quomodo lien per ramũ ſpleneticum, impurum duntaxat ſuccum ſeu chylum melancholicum attrahat relicto puriore. Si dixerit, omnia viſcera ſibi cognatum & familiarẽ ſuccum attrahere, id quod ſine dubio eſt veriſſimum, quæſiverim tamen, cur lien, ſi impuro melancholico ſucco delectatur, ex ſiniſtro ventriculi fundo purum chylum trahat? an puro & impuro ſimul ſatiandus eſt lien, cur iſti deſiderio naturali non ſatisfacit, ex trunco venarum meſaraicarum trahendo, utpote in quo & purus & impurus ſine ſequeſtratione continetur, cur ergo purum à ventriculo impurum à trunco venarum meſaraicarum trahit? an non communiſſima eſt in Medicorum ſcholis regula, quicquid per orificia patentia trahitur, id purũ trahi nequit, ſed confuſum. Unde venæ emulgentes non ſolùm aquoſum humorem, ſed ſanguinem ſimul ex vena cava alliciunt. Intellectu quoq; difficile eſt, unam & eandem partem uno & eodem tempore, diverſis muneribus obeundis ſufficere, impurum ſuccum & purum chylum, absq; deſtructione & corruptione alimenti, elaborare ac immutare poſſe. Præterea cùm conſtet, ventriculum, inteſtina aliasque partes proximas minimè ſanguine craſſo & melancholico, ſed puro nutriri, in liene verò ſemper atrum & feculentum ſanguinem inveniri,

veniri, exiſtimaverim, veterum Medicorum de liene opinionem retinendam eſſe.

QUÆSTIO XIII.

An lien per vias urinæ evacuari poſſit? C. A.

NOtabilis eſt ſententia Hippocratis Aph.21. libr.9. Quæ educenda ſunt, per hanc viam ducere expedit, quâ natura tendit per convenientes locos. Hinc quæſtio naſcitur, an lienis vitia per urinam cõmodè, vel, ut Hippocrates loquitur, naturaliter expurgari poſſint. Gal. lib. 13. meth. c.17. inquit: Gibba epatis pars per urinam, ſima verò per alvum commodè evacuatur, lien verò cum renibus & viis urinæ nullam habet ſocietatẽ, adeoq; unica illi via reſtat, alvus nimirum, per quem vacuari poſſit. Hanc Galeni ſententiam amplectitur Rondeletius, cur. morb. c.9. de melancholia, item Hollerius lib.1. int. morb. cap.4.

E contrario Hipp. lib. de int. aff. rationem docet curandi ſpleneticos per urinam. Sed Galenus hunc librum non Hippocratis, ſed ſpurium eſſe, & Polybium autorem habere, aſſerit. Quæ ſanè reſponſio minimè ſufficere videtur, licet enim ex ſententia Mercurialis liber iſte ab Hippocrate editus non ſit, à Theſſalo tamen ejus filio, vel Polybio aliíſve ejus diſcipulis, ex membranis Hippocratis, poſt illius obitum deſcriptus editusque fuit. Verùm ſi maximè hic liber Hippocratis non fuit, lib. tamen 2. Epid. caſum Bionis deſcribens, inquit

Hippocrates, cùm ſplen illius durus, & in gibbum elatus eſſet, copiosè mingens, & ſanguinem de nare ſiniſtra fundens, evaſit. Sed his prætermiſſis ipſemet Galenus non ſolùm in curatione febris quartanæ, medicamentis diureticis utitur, ad incidendum attenuandumque humorem melancholicum, cujus receptaculum eſt lien, eaque libr.1.ad Glauc.cap.11.commendat, ſed etiam ſui prorſus oblitus libr.2.ad Glauc.cap.2. & libr.1. ad Glauc.cap.11.renes & lienem clariſſimis verbis per urinas evacuari docet. Minimè igitur locũ habet quod Rondelerius adducit, Galenũ ſcilicet in paſſionibus lienis, diureticis uti, non quòd humorem melancholicum ex liene per urinã movere velit, ſed duntaxat ad incidendum attenuandumque craſſum húmorem melancholicum, locus enim ex 2. lib. ad Glauc. productus hanc expoſitionem manifeſtè evertit. Valetius quin etiam, qui ſcholia in Hollerium edidit, ſententiam Hollerii ex authoritate Hipp. improbat. Præterea Actuarius lib. 2. de judiciis urinarum cap.25. docet, urinas in affectibus lienis nigreſcere, propter humorem melancholicum ex liene ad vias urinæ vergentem. Denique Celſus libr.4. cap.9. in affectibus lienis omnia illa, quæ urinas movent, apium ſcil. hyſopum, ſatureiam &c. lienem commodiſſimè evacuare docet. Quanquam igitur à liene ad renes & veſicam manifeſtæ viæ hactenus, ut opinor, demonſtratæ non fuerint, niſi quòd Laurentius in opere anatomico in eam deflectit opinionem, lienem mediantibus arteriis, per ſubſtantiam lienis diſſeminatis, breviore & patentiore

tiore ductu cum arteriis emulgentibus, & ſic cum viis urinæ conſentire; utut tamen iſta ſe habeant, dubium non eſt, quin per multos anfractus, ſoli naturæ cognitos, & incomprehenſibilem Hippocratis conſpirationem, evacuatio iſta adſtipulantibus tot præclariſſimorum Medicorum obſervationibus, commodè fieri poſſit.

QUÆSTIO XIV.

An mamillæ virginum lac habeant?

IN jocum abiit, lac virgineum rem eſſe pretioſiſſimam & incomparabilem. Quo jocò innuunt, lac virgineum non dari in rerum natura. Ariſtoteles equidem libro 4. de Generat. An.cap.8. eas duntaxat fœminas lac habere asſerit, quæ fœtum habent in utero, vel fœtum geſtârunt. Verùm ex Hippocratis Aph.39.lib.5. falſitatis argui poteſt Ariſtoteles, inquit enim Hippocrates, ſi mulier, quæ non concepit, nec peperit, lac habeat; huic menſtrua deficiunt. Jam verò hoc ſuppreſſionis vitium virginibus aliisque non nuptis ſæpè accidit: ergo & lactis generatio. Ratione quoq; hoc ipſum comprobari poſſe videtur: ubicunque enim eadem ſunt organa ad lactis generationem neceſſaria, mamillæ nimirum, eadem etiam materia, ex qua lac generatur, ſanguis ſcil.eademq; cauſa efficiens;

calorem puta & proprietatem mamillarum, ibi certè effectus produci poteſt. Sed ita ſe res habet in virginibus; Ergo.

Imò Cardanus in lib.ſubtilit.author eſt, Antonium Benzum, annum agentem 34. pallidum, barbâ rarâ, pingui habitu, tantum lactis in mamillis habuiſſe, ut infantem ferè lactare potuiſſet. Qui novum luſtrârunt orbem, narrant, viros penè omnes maximam lactis copiam habere. Huc pertinet quod Ariſtoteles libr.3. hiſt. an. cap.20. prodidit, in Lemno caprum quendam viſum, è quo tantum lactis emulctum, quantũ ad coloſtra facienda ſatis fuit. Similia exempla narrat Matthiolus de tribus hircis Bohemicis. Denique ipſemet Ariſtot.l.c.refert, non ſolùm annoſas & effœtas fœminas, ſed mares quoque nonnullos lac habere, quod & Veſalius ſibi viſum eſſe tradit. Quapropter, ſi maſculini generis animalia, viri & hirci lac in mamillis habent, cur non virgines idem haberent? Nos verò contrariam partem tuemur, & ad exempla caſusque allatos reſpondemus, diſtinguendum eſſe inter lac verum, album & dulce, & mucum lactis ſimilitudinẽ habentem; illud nunquam neq; in ſexu maſculini generis, neq; in virginibus, hunc interdũ generari poſſe. Rationem allatã quod attinet, negatur aſſumptio: quanquam enim virginum mamillæ ſanguine nunquam deſtituantur, ut quidem ex venarum ramis, ſubſtantiam mamillarum ingredientib. & amplexantibus ſanguineque turgentibus, percipi poteſt, tamen ſanguis ille in nutritionem mamillarũ totus abit, neque ad perennes lactis rivulos concitandos ſuf-

ficit.

ficit. Sed,inquis,quid audio,ergóne plus ſanguinis quadragenariæ vel quinquagenariæ etiam fœminæ, tot laboribus & pariendi difficultatibus fractæ & exhauſtæ quàm florenti virgini, ſucci plenæ tribuis? Reſpondetur,in fœmina exhauſta, quæ ſic deſcribitur,plus equidem ſanguinis eſt in mamillis, modò vel gravida ſit, vel,pepererit, minus verò in toto corpore. In virginibus autem plus in toto corpore,& minus in mamillis. Hujus rei ratio eſt, quia ſanguis in enixis fœminis,non ſolùm ab aſcendente venæ cavæ caudice, vel trunco venæ ſubclaviæ,ut loquitur clariſſimus Anatomicus Bauhinus, ſeu venâ jugulari, ut vult Laurentius,ſed etiam à venis in fundum uteri implantatis, ſive illæ emergant à venis ſeminalibus,ut asſerit Columbus, ſive à deſcendente venæ cavæ caudice,ut Fernelius & Laurentius exiſtimant,ad mamillas, mediante venâ epigaſtriâ, confluit, unde ex tanto ſanguinis affluxu, non ſolùm mamillæ nutriuntur, ſed ex redundantia iſta, lac quoque generatur. Si quæris, cur non ſanguis etiam virginum per eandem venam epigaſtriam ad mamillas fluat. Reſpondetur,quia ſanguis iſte non niſi factâ impregnatione,toto imprægnationis tempore à fœtu ad uterum trahitur,fœtu verò in lucem edito, per venam epigaſtriam, circa regionem umbilici cum mammaria congredientem,ad mamillas quaſi reſtagnat, ut eleganter docet Fallopius in obſ. An. licet hac in parte disſentientem habeat magnum illum Anatomicum Laurentium,qui conſenſum iſtū uteri cum mamillis, potiùs venis internis, quàm externis illis & cuta-

neis, aſcribit. Verùm cùm cutaneę iſtæ venæ, epigaſtriæ inſignes ſint & manifeſtæ, tantâq; neceſſitate cum mammaria coëant, ut ſæpè etiam, teſte Bauhino, os pectoris, quod ſternum vocant, foramine pervium ſpectetur, ne coitus mammariæ cum epigaſtria per longitudinales abdominis muſculos aſcendente, ullo modo impediatur, ſed potiùs ad prædictum finem promoveatur, ideo Fallopio, Pineo, Bauhino & aliis non ſine cauſa ſubſcribendum puto.

QUÆSTIO XV.

An lac aſininum ſit tenue? C. N.

CUm lac nihil aliud ſit, quàm ſanguis in mamillis dealbatus, ſequetur, eandem eſſe conditionem & naturam lactis, quæ eſt ipſius ſanguinis, niſi fortè ſanguis, quoad qualitates primas paulò ſit calidior. Jam verò conſtat, ſanguinem non eſſe humorem aliquem ſimilarem & ſimplicem, ſed maſſam ex plurium humorum mixturâ, ſanguine ſcil. puro, pituitâ, melancholiâ, bile flavâ & ſero, certâ proportione generatam. Ergo & lactis liquor ex diverſis ſubſtantiis conflatur. Harum verò ſubſtantiarum tres, tam arte, quàm naturâ ab invicem ſeparatæ, numerantur. Prima lactis ſubſtantia pinguedo eſt, quam caput & florem nominant, ex quo butyrum; altera pars terreſtris & craſſior, ex qua caſeus; tertia tenuis & aquoſa, ex qua ſerum ſeu aqua lactis conficitur, Galen. libr. 3. de alim. fac. cap. 15. Tres iſtæ lactis

ſubſtantiæ

ſubſtantiæ pro diverſis animalium ſpeciebus, habitu corporis, ætate & paſcuis variant, qua de cauſa unum lactis genus altero magis vaporoſum, pinguius, ſeroſius, craſſius, temperatius, plus vel minus obſtruens, aut ad nutritionem commodum vel incommodum, & ad corruptionem pronius, naturæ noſtræ convenientius vel alienius, Aët. lib. I. ſerm. 2. c. 90. Animalia igitur, quæ ſanguinem habent craſſiorem magisq; terreſtrem, lac quoq; præbent craſſius, cujusmodi eſt bubalinum & ovillum, teſte Agineta lib. 1. c. 86. Quæ verò ſanguinē habent tenuiorem & aquoſiorē, lac quoq; aquoſius ad butyrum & caſeum planè ineptū ſuppeditant, cujusmodi ſuillum eſſe putatur. Quæ deniq; ſanguinem habent temperatū, lac quoque temperatum exhibent, in quo ſcilic. tres prædictæ ſubſtantiæ proportionaliter commiſcentur, quale humanum & caprinum eſſe creduntur, à quibus nonnihil recedit vaccinum, quod caprino plus pinguedinis habet. Ex hiſce apparere arbitror, Gal. libr. 7. meth. capite 6. nec non Trallianum libr. 7. cap. 2. præter omnem rationem, lac aſininum tenuiſſimum conſtituere. Cùm enim extra omnem controverſiam ſit poſitum, aſinum ab exuperantia humoris melancholici, ſanguinem planè melancholicū, craſſum ſcil. & terreſtrem habere, quæ res in cauſa eſt, quòd hæmorrhoidibus non rarò laboret, impoſſibile eſt, ex tali ſanguine craſſo lac tenuiſſimum generari poſſe. Rectè igitur Plinius libr. 11. natural. hiſt. cap. 41. & Card. libr. 1. ſanit. tuend. cap. 15. lac aſininum craſſum conſtituunt. Nec minùs à ratione alienum eſt,

quod Aëtius ex ſententia Archigenis lac aſininum adeò ſalubre eſſe prædicat, ut calculo obnoxiis illud exhibere minimè vereatur. In quo etiam errore verſatur Ariſtot.lib.3.de hiſt.An.cap.20.& Plin.libr.26. naturalis hiſt.cap.9. Si enim omne lac propter caſeoſitatem calculum generat, ut docet Gal.lib.3.de alim.fac.cap.15. quomodo lac aſininum, quod omnium eſt craſſiſſimum, quemadmodum jam rationibus ſufficienter fuit demonſtratum, ad curationem calculi conferre poterit?

QUÆSTIO XVI.

An mores nutricum cum lacte ingenerentur? C. N.

PRima puerperarum noſtrarum, quæ vel ipſæ lactare nolunt, vel nequeunt, cura & ſolicitudo eſſe ſolet, ut recens natis, non minùs de bonæ famæ, quàm boni corporis habitus nutrice circumſpiciant. Sunt enim in ea ſententia, nutrices lactentibus unà cum lacte, mores quoque ſuos & ingenia quaſi infundere & communicare, ita, ut impudica, & Veneri dedita nutrix, puerulũ etiam impudicum, & Veneri deditum reddat. Hanc ſententiam Aëtius lib. 1. ſerm. 4. c. 4. non videtur improbare. Requirit enim non ſolùm boni temperamenti, & juſtæ ætatis nutricem, ſed caſtam etiam, ſobriam & manſuetam, ut tam ad animum, quàm ad corpus reſpexiſſe videatur. Nec infirmum argumentũ eſt, puerulos, affectuum animi

ſuarum

ſuarum nutricum participes fieri, cùm videamus eos magis erga matres nutrices, quàm erga patres affectionatos eſſe, quod ſine dubio fit ratione nutritionis, unde animi ejusmodi affectus implantantur. Tertia probatio à conſuetudine veterum deſumi poteſt, qui ſervis ſuis malitioſis & ſceleratis venam ſecabant, exiſtimantes, extracto ſanguine, ceu malorum fomite, inhoneſtos & illaudatos animi mores corrigi poſſe. Cùm igitur mores illaudati à ſanguine proveniant, nihil obſtat, quo minùs lac, quod aliud non eſt, quàm ſanguis in mamillis coctus & dealbatus, ad formandos puerulorum animos conferat.

Denique uſitatum eſt Medicis ad excitandam venerem, exhibere de parte genitali cervi, tauri, de teſticulis apri, cerebro paſſerum, teſticulis gallorum, & ſimilibus venereorum particulis. Cùm igitur vis aliqua excitandi venerem partibus iſtis inſit, abſurdum dictu non erit, lac quoque nutricis veneri deditæ, libidinoſos & venereos reddere. Quamvis autem rationes adductæ aliquam probabilitatis ſpeciem habere videantur, adducor tamen ut credam, vanam, ſuperfluam, & minimè neceſſariam eſſe puerperarum ſolicitudinem. Si enim ab alimento ingenia & mores formantur, ſine dubio monachi, qui ſolis veſcuntur piſcibus, piſcium naturam; quique ferinis carnibus nutriuntur, ſylveſtres & ferinos mores aſſumerent; hic porcorum, ille vaccarum morem imitaretur. Pro Aëtio interim reſpondetur, ipſum non ad animi, ſed corporis vitia, ex intemperanti & luxurioſo vitæ genere provenientia, reſpexiſſe: Lac enim

nutricis veneri, vel vino aliisque erroribus exceſſivis deditæ, variis modis corrumpitur, unde ſanitas lactentis firma eſſe nequit. Amorem aliosque animi affectus quod attinet, quibus pueruli matrem potiùs quàm patrem proſequuntur, minimè nutritioni, ſed aliis potiùs cauſis externis, utpote officiis maternis & blanditiis imputari debent, quibus ætatem tenellam ſibi potiùs quàm patri devincire ſolent. Ad antiquam verò ſecandæ venæ conſuetudinem reſpondetur, eſſe potiùs antiquam ſuperſtitionem vel ceremoniam, ad ignominiam vel pœnam ſceleratorum ſervorum excogitatam. Quamvis dubium non ſit, ſi per ſectionem venæ temperamentum corrigi poſſet, mores etiam à temperamento prodeuntes, immutari poſſe. Quàm verò difficile ſit, ne dicam impoſſibile, unicâ præſertim ſectione venæ, univerſum temperamentum immutare, quis non agnoſcit? Ejusdem valoris eſt argumentum quartum, ſcilicet ſuperſtitioſum magis, quàm rationi conſentaneum, magnas ad incitandam venerem, iſtis animalium partibus ineſſe vires, utcunq; tamen ſit, disſimilis eſt conditio eorum, qui ad incitandam venerem medicamentis jam utuntur, & eorum, qui ante 20. vel 30. annos tale quid hauſerunt. Medicinarum enim vis & facultas in tot annos extendi & durare nequit.

QUÆ-

QUÆSTIO XVII.

An mores per diſciplinam corrigantur?

Concluſio negativa.

NOn ſolùm ſacrarum literarum, ſed etiam politici magiſtratus ſtatutis ac legibus mores hominum illaudati ſeverâ diſciplinâ & pœnis conſtitutis caſtigari & corrigi jubentur. Verùm ſi Galeni mentem & communem experientiam conſideramus, diſciplinam licet maximè ſeveram ad corrigendos animi mores parum prodeſſe experimur: mores enim, Galeno atteſtante, corporis temperamentum ſequuntur, ut impoſſibile ſit ſine immutatione temperamenti, mores ſolâ diſciplinâ corrigere. Scorpiones, inquit Galenus, & viperas ſine diſcrimine necamus, quia ex ſua natura pernicioſa ſunt animalia, nec per diſciplinam emendari poſſunt. Macrobius etiam author eſt, naturam nullâ arte emendari poſſe. Unde & Cicero in orat. 13. Philip. inquit, Bonos cives natura efficit. Horatius, etiam:

Naturam furcâ expellas licet, uſque recurret,
Et mala perrumpet furtim veſtigia victrix.

Feroces Cholericorum animos nulla diſciplina mitigat, nec timiditatem Melancholicorum expellit. Conſideremus unius præceptoris diſcipulos, pari inſtitutione educatos, hunc tamẽ mitẽ,

veracem vel timidum, illum immitem, mendacem vel audacem; unum ſtupidum, alterum ſolertem & ingenioſum à natura & temperamenti ſui ratione eſſe deprehendes, ut omnis diſciplina ſupervacanea & inutilis eſſe videatur. Diſtinguendum tamen inter mores, qui à temperamento ſimpliciter, & eos qui à conſuetudine dependent, (non enim omnes ad ſolum temperamentum referri poſſunt.) Mores, qui à ſolo dependent temperamento, per diſciplinam nullo modo mutantur, quod obſervatio quotidiana teſtatur. Qui verò à mala conſuetudine oriuntur, iis, ſi tempeſtivè occurratur, antequam in habitum degenerent, corrigi & emendari poſſunt.

QUÆSTIO XVIII.

An inteſtina ſuperiora chylificent?

Concluſio negativa.

NOn ſine cauſa Anatomici inteſtina, licet unus & continuus ſit illorum ductus, propter diverſam ſubſtantiam, magnitudinem, figuram & ſitum in ſex partes diſtribuunt. Tres ſuperiores, propter anguſtiam & tunicarum tenuitatem gracilia & tenuia inteſtina vocãtur, quorum primum incipit à ſecundo ventriculi orificio, & in longitudinem duodecim digitorum rectâ fermè lineâ deorſum fertur, unde duodenum nominatur. Alterum ea in parte initium ſumit, ubi inteſtina cõvolvi incipiunt, & finitur ubi inteſtina rubere cernuntur,

iuntur, eſtq; ſemper vacuum & inane, unde jejunum nominatur. Tertium ileum eſt, impenſè ruffeſcens, omniumq; aliorum longiſſimum. Reliquorum inteſtinorum, quæ ordine ſequuntur, primum cæcum nominatur, eſtque ilei inteſtini quaſi appendix. Hoc ipſum excipit colum, quod pluribus anfractibus & quaſi cellulis inſignitur, quodq; reliqua ferè ambit. Poſtremum verò rectum à figura nominatur. Quæ tria propter tunicarum craſſitiem & amplitudinem, craſſa vocantur & inferiora. Circa hæc inteſtina quæſtio moveri poteſt, an omnia uno & eodem, an verò diverſo miniſterio fungantur.

Sunt qui inteſtina illa omnia excrementis duntaxat excipiendis dicata eſſe exiſtimant. Alii inferioribus inteſtinis illud officium aſſignant, ſuperioribus verò ſeu gracilibus chylificandi facultatem tribuunt. Et ſanè ſi ventriculi capacitatem cum immenſa quorundam voracitate & ingluvie comparemus, impoſſibile eſſe videtur, ſolum ventriculum, absque ſuperiorum inteſtinorum auxilio, cibis excipiendis & in chylum vertendis ſufficere. Athenæus enim l. 10. c. 1. refert, Aſtidamum Mileſium ſolum ea comediſſe, quæ pro novem aliis in cœnam apparata erant. Sabellius quoque author eſt, Firmum Seleucium uno die integrum devoraſſe Struthiocamelum. De Clodio verò Albinio referunt, quòd uno accubitu ſolitus fuerit comedere quingentos ficus, centum Perſica, decem melones, viginti uvas, viginti ficedulas & decem capones. Quanquam autem exempla iſta fidem ſuperent, plus tamen ab helluonibus ſæpè in

cibum & potum ſumitur, quàm naturalis ventriculi capacitas admittere poteſt, ut credibile ſit, inteſtina ſuperiora non minùs ipſo ventriculo cibum excipere eumque in chylum mutare. Ab hac ſententia non videtur abhorruiſſe Gal. qui lib. 5. de uſ. part. cap. 3. & comment. 2. de vict. Ac text. 31. Inteſtinum primũ ἔκφυσιν γαςρὸς, hoc eſt proceſſum ventriculi, nominat, quaſi ejusdem ſit cum ventriculo conditionis. Prætereà lib. 6. admin. Anat. c. 9. inquit, nonnullos inteſtina ibi inchoare, ubi in gyrum convolvi incipiunt: jã verò duodenum inteſtinum non convolvitur, ſed rectà deſcendit. Ergo non habet naturam reliquorum inteſtinorum, ſed ventriculo auxiliatur. Deniq; plures venas meſaraicas in tenuia inteſtina, quàm in ventriculum implantatas videmus, quod certè factum non eſſet, niſi inteſtina tenuia æquè ac ipſe ventriculus chylificarent.

At verò ſi ex altera parte conſideremus ventriculi & inteſtinorum fabricam & admirabilem illorum ſtructuram, tum inteſtina ab officio chylificationis meritò excludemus. Primum enim inteſtinum, duodenum ſcilicet, ex ſuperna ventriculi parte lateris dextri ideò enaſcitur, ne, ſi ex inferna ventriculi parte enaſceretur, facilis eſſet cibi aſſumpti deſcenſus. Jam verò ſi inteſtina, duodenum inprimis chylificaret, nullo impedimento vel remorâ ciborum aſſumptorum opus eſſet. Ad eandem intentionem, ne ſcilicet cibus facilè ad inteſtina deſcenderet, ſecundum orificium ventriculi, quod nonnulli inferius vocant, ubi duodenum exoritur, non ſolùm ſurſum reflecti-

tur,

tur, ad impediendum facilem cibi aſſumpti prolapſum, ſed etiam fibras transverſas & circulum craſſiorem ibidem obtinuit, quem nonnulli pyloram, alii corpus glanduloſum, alii verò ab officii genere janitorem vocant, quo claudi aperiri, arctari, & dilatari pro naturæ impetu poſſit, ne cibus inconcoctus juſto celeriùs ad inteſtina prolaberetur. Unde profectò ſequitur, ſolum ventriculum chylificare, alioquin ſublimis iſte inteſtinorum à ventriculo exortus, fibræ transverſæ, circulus ſeu janitor, omniaque iſta, fruſtrà facta eſſent. Jam ſi inteſtinorum fabricam ſpectemus, præterquam, quòd primi inteſtini ſitus propter rectitudinem, ad chylificationem ineptiſſimus eſt, accedit & ductus bilis flavæ ex folliculo ſuo ad inteſtinum hoc duodenum, ut Veſalius, Fallopius & Laurentius volunt, vel certè ad finem duodeni, ut vult Galenus lib. 5. de uſ. part. Quàm variè autem hic ductus propter bilioſi hujus humoris ad inteſtina ſuperiora influxum, omnem chylificationem impediat, quis non videt? Chylificatio ſiquidem moram requirit. At verò bilis ſuâ acrimoniâ inteſtina ad expulſionem irritat, ut nulla chylificatio fieri poſſit. Quanquam autem Archangelus exiſtimet, bilem ex folliculo ad inteſtina, quamdiu chylus in eis detinetur, minimè effluere, ſed tum demum, quando cibus per inteſtina jam transivit. Hoc tamen nihil aliud eſt, quàm folliculo bilis intellectum tribuere, cùm tamen non intellectivè ſed naturaliter agat, hoc eſt effluat, quoties vel acrimonia bilis, vel copia & quantitas

illius, excretionem requirit, nullâ habitâ ratione chyli in inteſtinis exiſtentis. Et ſi maximè fingamus, bilem non antè effluere quàm chylus omnis transierit, inteſtina tamen illa, quotiescunq; bilis transit, amaritudine inquinabũtur, quæ cùm citò ablui & detergeri non poſſit, ſequetur, omnẽ chylũ in inteſtinis amarore inquinari & ad nutritionẽ ineptum reddi. Secundum inteſtinum jejunum dictum, ad chylificationem quoq; ineptum eſſe, vel inde apparet, quòd ſemper vacuum & inane reperiatur, ut docet Gal. c. 8. introduct. imò lib. 5. de uſ. part. diſertis verbis fatetur, in jejuno inteſtino nihil alimenti contineri.

Ad componendam hanc controverſiam nodumq; disſolvendum, Laur. c. 13. quæſt. 19. ex ſententia Galeni reſpondet, in omni concoctione tria eſſe ſpectanda, præparationem, cõcoctionem & perfectionem. E. G. ſanguificationis præparatio fit in venis meſaraicis, concoctio in epate, perfectio in venis majoribus. Sic, inquit Laur. chylificationis præparatio fit in ore, concoctio ſeu ipſa chylificatio in ventriculo, perfectio in gracilibus inteſtinis. Sed ex hac Laurentii ſententia ſequetur, neque ventriculum chylificationis, neq; epar ſanguificationis principale & primarium organum eſſe, ſed inteſtina & venas. Quicquid enim dat perfectionem rei, illud eſt principale rei effectæ organum, jam verò conſtat, venas non eſſe principale ſanguificationis organũ, eò quòd neq; calore neq; colore valent, quicquid ergo habent, id per irradiationem & communicationem epatis habent. Idem de inteſtinis accipiendum. Abſur-

dum

dum igitur dictu,ſanguinem in venis & chylum in inteſtinis perfici & abſolvi.

Alii ſic reſpondent, chylificationem fieri in ventriculo,chyli verò diſtributionem in ſuperioribus & gracilibus inteſtinis. Malim tamen reſpondere,chylificationem aliam propriam eſſe,aliam impropriam.In propria ſignificatione chylificatio nihil aliud eſt, quàm converſio alimenti ſeu cibi ingeſti in chylum ſeu ſuccũ cremori hordei non abſimilem. Impropria chylificatio eſt, quando aliquid chyli,quod in ventriculo,perfectam elaborationem ſubterfugiendo,plenè confici non potuit,per inteſtina gracilia transiens,arripitur,& ulteriùs alteratur, quæ certè alteratio ipſi etiam Galeno lib.4.de uſ.part.c.17. vera chylificatio non eſt.Neque propter cauſas dictas ulla chylificatio in inteſtinis fieret,niſi bonâ ex parte in ventriculo præceſſiſſet,vel rudimentum chylificationis factum eſſet. Propria ergo chylificatio ſeu cibi in chylum converſio in inteſtinis non fit, ſed in ventriculo; impropria verò, quæ alteratio potiùs eſt,in gracilibus inteſtinis fieri poteſt. Si quæris,annon impropria quoque chylificatio ab acrimonia & amarore bilis inquinetur. Reſpondetur,ſi quandoque id fiat,tum quoque inteſtin iſtum chylum tanquam adverſum ſibi, & ad nutriendum ineptum, excludere.

QUÆSTIO XIX.

An inteſtina intus obducta ſint pinguedine? C. N.

CIrca inteſtina alia occurrit quæſtio, an nimirum intus pinguedine aliquâ obducantur. Trall. lib. 8. c. 9. & Aëtius lib. 2. ſerm. 1. c. 45. in errorem minimè reticendum inciderunt, dum inteſtina intus pinguedine obducta tradiderunt. Ex recentioribus quoq; in hunc ipſum errorem inciderunt, Varolius, Fuchſius, Laurẽtius & Archangelus. Colerus quoq; compilator ille & œconomiæ ſcriptor, exiſtimat, colicam paſſionem nihil aliud eſſe quàm congelationem pinguedinis inteſtino colo intus adhærentis. Ab aſſumpto enim potu frigido, pinguedinem iſtam congelari & acerbiſſimum illum dolorem colicum inde excitari credidit. Quàm puerilis ſit iſte error, quis non agnoſcit? ſi enim potus etiam frigidiſſimus aſſumeretur, in ventriculo tamen frigiditas iſta contemperaretur antequam ad colum perveniret. Hic igitur error in memoriam mihi revocat literatiſſimi cujusdam principis jocum in ejusdem cum Colero farinæ medicum, qui cùm de podagrici doloris cauſa, ad lectum principis disſereret, omnemq; cauſam in ventriculum frigidiſſimum, & medullam in oſſibus tibiarum congelatam, referret, ipſe verò princeps rem meliùs intelligeret, ſi, inquit, ventriculus meus eſſet frigidiſſimus, ſtercora mea eſſent congelata. Quòd ſi vero medulla

dulla in oſſibus congelata eſſet, tum pedes multò magis extrinſecus frigore rigerent & inſenſibiles forent. Sed illud hactenus non fuit obſervatum, hoc etiam falſum & ineptum eſſe, exquiſitus dolor, quem patior, & facultas ſenſilis manifeſtè docet.

Duo tamen fuiſſe ſuſpicor quæ errorẽ de pinguedine intus inteſtinis adhærente pepererunt. Unum, quod credibile erat, pinguedinẽ aliquam ad promovenda vel expellenda inteſtinorum excrementa neceſſariam eſſe. Alterum, quòd animalium inteſtina in cibum appoſita intus pinguedine referta cernuntur. Verùm Bauhinus aliique Anatomici, imò oculorum ſenſus docet, pinguedinem inteſtinis non intrinſecus ſed extrinſecus adnaſci, intus verò mucum pinguem ad defendenda inteſtina contra aſperiora excrementa, eorumque faciliorem excluſionem promovendam, adhærere. Animalium inteſtina quod attinet, illa à laniis inverſa coquis traduntur, adeoque lanios potiſſimum hujus erroris cauſam dediſſe arbitror.

QUÆSTIO XX.

An inteſtina in dyſenteria per dolorem diſcerni poſſint?

C. N.

DE differentiis inteſtinorum jam antè dictum eſt, alia ſcilicet inteſtina eſſe ſuperiora, alia inferiora; illa gracilia, hæc craſſa communiter vocantur. Hanc differentiam practici in

curanda dyſenteria diligenter obſervandam eſſe præcipiunt,ut ſcilicet exulceratis & malè affectis inteſtinis ſuperioribus,medicamenta per os exhibeantur: exulceratis verò inteſtinis inferioribus, per alvum tanquam locum viciniorem injiciantur; Ad dignoſcenda verò inteſtina malè affecta, ipſum dolorem ſeu tormina ventris obſervare jubent.Si enim dolor ſupra umbilicum percipiatur, ſuperiora ſeu tenuia inteſtina;ſin infra umbilicum dolor ſentiatur,inferiora & craſſa inteſtina malè affici.Hoc ipſum præter Aret.lib.2.de ſign. morb. chron.c.9.& Trall.l.8. c.9. plurimi ex recentioribus practicis crediderunt. Quàm verò hoc ſignum fallax ſit & incertum, inteſtinorum ſitus ſeu poſitus clariſſimè docet. Quanquam enim gracilia inteſtina, magna ex parte ſupra umbilicum ſint poſita: colum tamen inteſtinum, quod ex craſſis ſeu inferioribus(quoad ductum ſeu cõtinuationem) ſecundum eſt, ſtatim aſſurgit, & ventriculi fundo ſubſternitur,minimè verò ventriculo incumbit: ut malè docet Savon. tract.6. cap.16.de ægr.inteſt. Rub.9.niſi dicamus eſſe errorem typographicum,id quod tanti viri authoritas nos credere jubet, adeoque exulceratio ſeu dolor in ea coli parte excitatus haud firmiter ſignificat, ſuperiora inteſtina; gracilia ſcilicet, affecta eſſe, ac proinde medicamenta per os majori cum ſucceſſu exhiberi.

QUÆ-

QUÆSTIO XXI.

An inteſtina ſauciata iterum coaleſcant? C. A.

HOc quoque in loco quæri poteſt, an inteſtina tenuia ſauciata conglutinari & coaleſcere poſſint. Hipp. Aph. 24. lib. 6. nec non in coac. præn. ſcribit, inteſtina gracilia ſauciata non coaleſcere. Celſus quoq; lib. 5. de re med. cap. 26. inquit, ſervari non poteſt, cui cor, ſtomachus, ſpinalis medulla percuſſa eſt, cui pulmo medius, vel inteſtinum tenue, vel renes ſunt vulnerati. Albucaſis tamen lib. 2. meth. cap. 58. teſtatur, ſe vulnera ventriculi & inteſtinorum curaſſe. Paræus quoq; lib. 9. cap. 31. aliquot refert exempla inteſtinorum vulneratorum, feliciter curatorum. Idem teſtatur Hollerius in com. ad Hipp. de vuln. capitis. Si dixeris, autores iſtos intelligendos eſſe de inteſtinis craſſis, tamen occurrit Gemma lib. 1. cap. 6. Coſmogr. qui teſtatur, ſe curaſſe puerum, de cujus inteſtinis gracilibus aliquot particulæ jam allatæ erant. Idem præſtitit Hollerius, ut eſt videre in obſ. propriis part. 17. Similes caſus referunt Seidelius in obſ. Jacotius com. 2. ad Aph. 17. & lib. 1. ſect. 3. coac. Imò ex monumentis Cornacis, Bauhini, Paræi & aliorum, jam luce clarius eſt, uterum in fœminis non paucis difficulter parturientibus disſectum, poſt fœtum per ſectionem iſtam in lucem editum, iterum coaluiſſe. Superioribus quoque diebus in caſtro Dillenbergenſi vidimus ven-

triculum ſauciatum coaluiſſe. Cùm enim ſcriba, Eberwinus Cocus, à Martino auriga poſt cœnam ſumptam, cultro in abdomen vulneratus eſſet, ſtatim cibum modò aſſumptum, cum maxima ſanguinis copia iteratis vicibus evomuit, certo nimirum & infallibili indicio, ventriculum ſauciatum fuiſſe: intra menſem tamen curatus fuit. Simile vel majus quid, in disſecto peritonæo, membrana longè tenuiſſima, & veſica urinaria, ſubſtantiæ quoq; tenuioris quàm inteſtinorum gracilium, frequentiſſimè fuit obſervatum. Ergo inteſtina tam gracilia, quàm craſſa, ſi vulnerata fuerint, coaleſcere poſſunt.

Cum Galeno tamen ſentiendum puto lib. 6. meth. cap. 4. inteſtina craſſa facilè, gracilia difficulter coaleſcere. Uterum disſectum quod attinet, conſtat, illius ſubſtantiam, inteſtinis gracilibus longè craſſiorem eſſe, ac propterea faciliùs conſolidari. Veſicam urinariam, niſi, ubi craſſior eſt & carnoſior, à lithotomis, circa collum nimirum ſecetur, vix unquam coaleſcere. Ad exempla Peritonæi reſpondetur, illud propter tenuitatem nunquam coaleſcere, niſi artificioſè cum incumbentibus muſculis, panniculo carnoſo & cute alternatim conſuatur, ut docet Aquapendens in lib. de vuln.

QUÆ-

QUÆSTIO XXII.

An ſeptem ſint in utero cellulæ?
C. N.

REctè Anatomici ſeptem illas ab Alber. Magno & Mundino confictas uteri cellulas jam pridem exploſerunt, ſingulosque fœtus, ſi plures uno conceptu gignantur, ſingulis involucris ſeu membranis propriis, quas ſecundinas vocant, non ad uteri ſubſtantiam pertinentibus, ſed à ſemine generatis, discriminari tradiderunt. Hoc ipſum haud ignotum fuit hiſtorico, quem citat Cæl. Rhod. lib. 4. Antiq. Lect. c. 23 eferens, in Germania mulierem quandam 22. fœtus, quorum ſinguli propriis tuniculis discreti & concluſi fuerunt, abortiviſſe. Nec certè res aliter ſe habere poteſt. Quòd ſi enim certis propriisque involucris non discluderentur, in variis certè fœtuum motibus, vaſorum umbilicalium ruptura, aliaq; contuſionum pericula metuenda forent. Haud igitur asſequor, cur Icones Alberti Mag. Ruffi, Dryandri, ipſius etiam Paræi, licet discretionem fœtuum per diverſas & diſtinctas ſecundinas c. 18. de Gen. Hom. obſtetricibus inculcandam præceperit, omniumq; aliorum, quotquot hactenus videre licuit, qui gemellorum conceptum exprimunt, illos unico ſub involucro, ſine ulla discriminatione, palpabili, nec reticendo errore repræſentant.

QUÆSTIO XXIII.

An profluentibus ab utero menſtruis, fœtus ſanus eſſe poſſit?
C. A.

AD uterum pertinet conſideratio Aph. 50. lib. 5. in quo Hipp. negat fœtum eſſe ſanum, ſi ab utero matris menſtrua prodeant. Ratio aphoriſmi eſſe putatur, quia propter fluxum mēſtruorum alimentum fœtui vel detrahitur, unde fœtus infirmatur, & de vita periclitatur, vel ob alias cauſas fœtus debilitatus, alimento menſtruo non eget, unde forâs pellitur. Ergo menſtruorum fluxus vel rationem habet cauſæ, vel rationem ſigni debilis fœtus. Ejusdem ferè ſententiæ eſt Aph. 31. lib. cit. Mulier in utero ferens, ſi vena ei incidatur, abortum facit.

Contrarium docent Braſavolus in com. ad Aphor. 50. Rondeletius in meth. cur. morb. cap. 61. Columb. lib. 12. Anat. Augenius lib. 5. epiſt. 1. c. 10. & Solenander conſ. 15. ſect. 5. inquit, quædam gravida patiebatur menſtruorum fluxum, in majori quantitate quàm aliis temporibus, & fœtui malè non ceſſit. Sic etiam C. à Vega refert, ſe principiſſæ Ebulenſi octavo geſtationis menſe bis ſanguinem ad decem uncias miſiſſe, cum magno matris & fœtus commodo. Similem ſectionem venę Frambes in Duciſſa Guiſii & Eugub. in pluribus fœminis feliciter adminiſtrarunt.

Nos reſpondemus, diſtinguendum eſſe inter com-

communem naturæ curſum & caſus rariores. Deinde inter temperamenta ſanguinea ſuccique plena,& temperamẽta ſicca,ſanguinisq; inopiam. Hipp.reſpexit ad communem naturę curſum,nec non ſui temporis frugalitatem & temperantiam. Nunc verò experimur quasdam mulieres, in otio rerumque omnium abundantiâ epulantes, ſanguine pleniores eſſe, ut mirum non ſit,menſtrua illis non ſolùm ſine læſione profluere, ſed ſectionem quoq; venæ impraegnationis tempore requirere. At, inquis, annon fluentibus menſtruis, uterus aperitur, qui toto geſtationis tempore occluſus eſſe debet. Reſpondetur, ſanguinẽ menſtruum minimè ab intimioribus uteri venis, per quas fœtus in utero nutritur: Sed ab iis,quæ in uteri collum implantatæ ſunt, citra ullam uteri apertionem profluere.

QUÆSTIO XXIV.

An uterus in corpore mulieris oberrare poſſit? C. N.

INquiramus etiam, an uterus inſtar animalis in corpore mulieris oberrare poſſit? Plato in Tim. inquit,ea pars,quæ in mulieribus uterus nominatur,cùm ſit animal prolem generare cupiens,ſi intempeſtivè diuque infructuoſum fuerit, ſuccenſens,ægrè fert,erransq; per totum corpus, & meatum ſpiritus obſtruens, & reſpirare non ſinens,in extremam anxietatem dejicit &c.

Nos cum Phyſicis uterum animal eſſe nega-

mus,ſimulq́; cum Anatomicis illius ſtructuram & ſitum perpendentes, uterum hinc inde oberrare, impoſſibile eſſe aſſerimus. Eſt autem uterus membranoſus, ſitus in coxarum antro, inter veſicam urinariam & poſtremũ inteſtinum. Connectitur cum partibus adjacentibus, partim ſuâ ſubſtantiâ, partim etiam ligamentis quatuor; quorum duo ſuperiora ſunt, & totidẽ inferiora. Verùm fundus uteri neq; anterius, neq; poſterius ulli parti adjacenti connaſcitur, ſed liber eſt, ut commodè in conceptione extendi poſſit. At à lateribus oſſibus ilei per ligamenta membranoſa à Peritonæo enata, alligatur, quæ licet ſint valida, relaxata tamen permittunt, ut uterus quandoque deorſum procidat, quandoque ſurſum aſcendat, vel ad latera torqueatur, ſed tamen non ulteriùs quàm ligamenta permittunt. In aſcenſus igitur conamine minimè ad diphragma vel ſpiritus organa pervenit, ſed inteſtina ſibi proximè incumbentia premit, hæc ventriculum, ventriculus diaphragma, diaphragma pulmones, & inde reſpiratio non immediatè, ſed mediantibus partibus interjacentibus ab utero impeditur, & difficilior evadit, uterus verò in ſua ſubſtantia ad ea loca nunquam tranſit.

QUÆSTIO XXV.

An teſticuli ad formationem vocis conferant? C. A.

CUm equus caſtratus hinnitum deperdat, capo canere deſinat, vel cantum infirmiorem,

rem, & à priore diſcrepantem edat, maſculi etiam pubertatis tempore vocē ſenſibiliter immutent; ſuſpicari licet, teſtes ad organa ſeu inſtrumenta vocis pertinere. Gal.lib.7.de uſu part.cap.4.& ſeq. aſperam arteriam & guttur, lib.1.de motu muſcul. cap.3.linguam, libr.8.de adminiſt.Anatom.coſtas, muſculos & nervos, libr.4.de locis affect. cap.6. dentes, labrum, nariū foramina & palatum, lib.6. de uſu part.cap.9. & libr.7.cap.5. pulmonem. In comment. verò 4.6.Epid.text.27. nec non in libr. de ſem. teſtes quoque ad conformationem vocis conferre docet. Hujus autem rei cauſam (teſtes nimirū, licet procul à reliquis vocis inſtrumentis ſint remoti, ad vocem tamen multum conferre:) potiſſimùm in calore poſitam eſſe, ſtatuere licet: eſt enim Hippocratis ſententia lib.6.Epid.ſect.4. text.24. magnam vocem à magno calore fieri: ad vocem enim magna ſpiritus efflatio requiritur, ad quam efficiendam & continuandam, robore & calore opus eſt. Jam verò Galenus lib.de ſem.c.15. teſtes, alterum à corde caloris & roboris fontem conſtituit. Quinimò Ariſtoteles lib.5.de generat. animal. excīſis teſtibus, non ſolùm alterum caloris fontem perire, ſed ipſius etiam cordis calorem imminui & debilitari docet. Conſenſum autem cordis & teſtium per venas & arterias fieri docet Aëtius lib.1.ſerm.3.cap.8. Deſtructo igitur uno caloris fonte, alterius etiam robur imminuatur, & per conſequens, vox immutetur neceſſe eſt. Verùm huic rationi repugnare, & ſibi ipſi contrarius eſſe videtur Galenus capite 67. Artis Medicæ, ubi diſertis verbis aſſerit, vocis magnitudi-

nem à caliditate non fieri. Sed facilis eſt pro Galeno reſponſio, calorem ſcil. non eſſe proximam magnæ vocis cauſam, ſed potiùs antecedentem: dicto enim loco Galenus duas proximiores cauſas magnæ vocis ponit, amplitudinem ſcil. aſperæ arteriæ, & fortem efflationem, utramque verò iſtarum cauſarum à magno calore exiſtere, non ſolùm in art. Medica, ſed paſſim etiam, docet Galenus.

QUÆSTIO XXVI.

An facies ſit animi index? C. N.

DUas exiſtimo eſſe cauſas, quòd velato corpore, ſola facies à velamine libera relinquitur. Prima eſt, quia organa ſenſuum exteriorum ita ſunt comparata, ut nullum velamen ſine impedimento ipſius ſenſus ferre & ſuſtinere poſſint. Altera, ut obviantes ex intuitu faciei mutuum animorum affectum cognoſcant. Hinc pictores, ut inquit Plutarch. in vita Alex. Mag. neglectis cæteris partibus, faciem & vultum, unde animorum indicia eluceſcunt, accuratè depingunt. Idipſum etiam beſtiæ ratione carentes intelligere videntur, naturaliter enim aliorum animantium oculos faciemq; acriter ſtatim obſervant & intuentur, quò poſſint de illorum affectu & voluntate certiores eſſe. Facies enim, quomodo affecti ſimus, non obſcurè indicat. Unde Ovid. libr. 2. met. inquit.
Heu quàm difficile eſt, crimen non prodere vultu.

Et alius,

Et alius, Contortum vultum ſequitur contortio morum. Item:

Sunt oculi mentis ſpeculum, prodeuntibus illis
Arguitur virtus, arguiturq́ ſcelus.

Hinc etiam Plutarchus in vita Syllæ, glaucos Syllæ oculos, utpote vehementes & acerbos, perſtringit. Imò Hippocrates lib. 2. Epid. ſect. 5. text. 1. inquit; Quicunq; ruffi ſunt, & acuto naſo, parvisq́; oculis, pravi ſunt: qui verò ruffi, ſimi & magnis oculis, boni. Item libr. 2. Epid. ſect. 6. text. 1. caput magnum & oculi parvi, hominem iracundum arguunt. Ariſtoteles denique lib. 1. de hiſt. an. ſupercilia demiſſa, invidiæ notam, oculosq́; caprinos & mediocriter conniventes, mores optimos animumq́ue ſedatum referre aſſerit. Quæ omnia haud obſcurè arguunt, faciem eſſe animorum indicem. Verùm Cic. in or. contra Piſonem contrarium ſenſiſſe videtur, dum inquit, frons, oculi, vultus ſæpè mentiuntur, oratio ſæpiſſimè. Hanc Ciceronis ſententiã confirmat ſimilitudo, quemadmodum enim ſub Tanaceto Peruviano, quod Ottonam vocant, aliisq́ue pulcherrimis floribus, deterrimus ſępè fœtor, & ſub dulciſſimis fructibus præſentaneum quandoque venenum occultatur: ſic etiam ſub deformi faciei aſpectu ſæpè laudabiles, & è contrario ſub forma eleganti illaudabiles mores deliteſcunt. Hinc forſan factum, quòd Galenus in libr. quòd mores ſequantur temperaturam corporis, referens Ariſtotelis ſententiã de notis faciei, nihil de ſuo addit, quaſi notis ejusmodi parum certitudinis tribuat. Et ſanè ſi temperamentorum proprietates ſpectemus, à ſimili con-

cludere poſſumus, nullam certitudinem ex faciei notis ſumi poſſe. Quanquam enim veriſſimum ſit quod Galenus docet, mores dependere à temperamento corporis, ac proinde ſanguineos homines beneficos eſſe, mites, lætos: bilioſos verò, immites, iræ deditos, inconſtantes &c. Certum tamen eſt, iſtos mores à communi quodam & manifeſto temperamento dependere, interim præter communia illa temperamenta, occultam quoque hominum proprietatem ſpectandam & conſiderandam eſſe, paſſim inculcat Galenus, cujus vi abdita, etiam ſanguineus, perfidus, crudelis, & varius eſſe poteſt. E contrario bilioſus placidus & beneficus. Quemadmodum igitur temperamenta, ſic etiam faciei notæ quandoq; incerta morum indicia præbent.

QUÆSTIO XXVII.

An vulnera per ſe non lethalia, ab influentiis ſtellarum lethalia reddantur? C. N.

HIpp. in principio lib. de vul. cap. inquit, nullum capitis vulnus contemnendum. Hujus rei exemplum evidens, idē Hipp. tradit lib. 5. Epid. tex. 94. Filius Philis, inquit, poſt acceptum vulnus in fronte, calvariam denudans, mortuus eſt. Valleſius hunc locum exponens, inter cauſas, ob quas leviter vulnerati quandoq; moriuntur, retulit in infauſtum alicujus ſyderis aſpectū & influentiam malignam. Idem ſentit Quercetanus in lib. de vul. ſclopet. c. 3. inquiens: Quid dicemus de ſitu & poſitu ur-

tu urbis Ferrariæ, aut Florentiæ, cùm videamus
 illa, omnia capitis vulnera eſſe lethalia, in hac
erò tibiarum vulnera eſſe immedicabilia. Huc
nclinat Donatus in lib. de variolis c. 2. Jam agitur,
nquit, annus quintus, quòd in urbe noſtra Man-
ua, quicunq; in capite vulnerabantur, licet levia
dmodum vulnera erant, quovis adminiſtrato re-
nedio, omnes mortui ſunt. Nunc verò omnes
uaſi in capite vulnerati, ab iisdem Medicis per
adẽ remedia, quæ antè fruſtra fuerunt uſurpata,
eſtituuntur. Cauſam hujus rei neceſſe eſt, ut in
æleſtem ſyderum influxum referamus. Hæc ille.

Verùm Medicorum iſtorum rationem allatam
nfirmam, minusq; in naturæ operibus fundatam
ſſe arbitror. Si enim ſyderis alicujus influxus cu-
ationem Mantuæ impedit, cur in vicina Cremo-
na, de qua Virg.

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.

easdem malignitatis ſuæ notas in vulneratos non
exercet? ſi Ferrariæ capitis vulnera ſunt lethalia,
cur in vicino Rhodigio vel Bononia curantur?
annon minutiſſima quæque ſtella universâ terrâ
eſt amplior? non minùs ergo, ſi ratio iſta valeret,
vires ſuas in Cremonenſes, quàm Mantuanos
ſtellæ exererent. Ad majorem hujus vanitatis &
facilitatis de influentia ſyderum, confutationem,
conſiderandos profero caſus aliquot, præteritâ
æſtate diſſimili ſucceſſu notatos. Primus accidit
Freudenbergæ, Naſſovicæ hujus ditionis oppido,
ubi graſſator quidam parentibus & magiſtratui
immorigerus, in humerum haud adeò profundè
vulneratus, è vita diſceſſit. Si ad malignam cu-

juſdam ſyderis influentiam confugis, dic quæſo, cur ejusdem ſyderis malignitas Nobilem virum Fridericum à Lindenau aulæ Weilburgenſi præfectum eodem tempore, gladio juxta ſiniſtram mamillam intra quintam & ſextam coſtam percuſſum, ferro in dorſo regrediente, ſimiliter non ſuſtulerit? Alter caſus accidit in comitatu Oldenburgico, ubi viduæ cujusdam filius citra matris conſenſum uxorem ducens, & ad focum cum ſodalibus potans, in mediam femoris regionem cultro leviter vulneratus, confeſtim exſpiravit. Uterque reus ab ordinaria homicidii pœna ex decreto facult. Juridicæ in inclyta Academia Marpurgenſi abſolutus fuit. Tertius caſus viſus fuit Lemgoviæ, ubi civis filius à ſtudioſo in brachium gladio percuſſus, præter omnem opinionem, poſt horam exſpiravit, cùm tamen ſcriba Dillenbergenſis, cujus in quæſt. 21. facta eſt mentio, eodem menſe, Auguſto ſcil. à vulnere ventriculi feliciter fuerit reſtitutus. Alia igitur cauſa inveſtiganda, cur minùs lethaliter vulnerati quandoq; moriantur. Hanc verò cauſam Hipp. niſi fallor, ex parte attingit, libr. 2. præd. inquiens, Moriuntur homines ab omnis generis vulnerib. eò quòd venæ multæ ſunt, tenues & craſſæ, quæ, ſi gliſcere permittantur, occidunt. Quaſi dicat, vulnera quandoq; non ex propria eſſentia, ſed ex ſymptomate aliquo ſuperveniente, lethalia fieri, quale eſt, quod in loc. cit. innuitur, largiſſima ſcil. ſanguinis profuſio. Aliud hujus conditionis ſymptoma expreſſit Hipp. Aph. 2. lib. 5. Convulſio, inquit, à vulnere, eſt lethale. Supervenit autem con-

vulſio,

vulſio, vel quia nervus aliquis compunctus eſt: vel quia copioſa ſanguinis profuſio, ſiccitatem, & per conſequens cõvulſionem ab inanitione infert, de qua Hipp. in ſeq. Aph. hunc in modum ſcribit: A purgatione immodicâ, vel cõpioſo ſanguinis fluxu, convulſio eſt lethalis. Quandoq; etiam vulnerati tantopere iraſcũtur, ut vel in apoplexiam, vel epilepſiam prolabantur. Talem caſum vidi in aula Illuſtriſſimi Principis Ern. Friderici, Marchionis Badenſis. Cùm enim ejus Celſ. cubicularius Johan. Beckler, juvenis plethoricus, gladio obtuſo, ut eſſe ſolent, quibus pugiles ſe exercent, ab imberbi adoleſcente, in palpebra inferiore leviter contunderetur, irâ & indignatione percitus, ęgerrimeq; ferens, quòd à puero & diſcipulo ſuo vinceretur, in graviſſimam convulſionem epilepticam incidit, quæ quatuor vel quinque horarum ſpatio vitæ finem fecit.

Verùm ſymptomata iſta enarrata, licet dubium nullum ſit, quin, ſi ſuperveniant, hominem extinguant, cùm tamen in caſibus iſtis tribus enumeratis, magna ſanguinis profuſio viſa non fuerit, nec certè in tantulis vulneribus, partibus ignobiliorib. inflictis, fieri potuerit (experimur enim, multis integros articulos, brachia & crura absque lethali ſanguinis profuſione amputari) multò minùs convulſiones apparuerint; ideo veniam mihi dari peto, ſi aliam inopinatæ mortis cauſam attulero. Ferrarienſes, Florentinos, & Mantuanos quod attinet, cauſam facilioris & difficilioris curationis potiùs in aëris nos ambientis conditionem & naturam, quàm in ſtellarum influentias refe-

rendas exiſtimo. Aër ſiquidem frigidus vulneribus & ulcerib. eſt inimic⁹, ut inquit Hipp. Aph. 20. libr. 5. & alibi paſſim. Imò Galenus libr. 5. meth. cap. 12. deſcribens Tabiarum ſitum, ubi, qui ulceribus laryngis afficiebantur, feliciori ſucceſſu curabantur, quàm aliis in locis, non tam propter herbas ibi creſcentes, vel maris viciniam, quàm aëris ſiccitatem, à proximo igne ex monte Veſuvio erumpente, non mediocriter auctam, id factum eſſe commemorat. In teſtimonium porrò adduco Pareũ, qui lib. 10. c. 8. motus autoritate & experientiâ Guidonis, vulnerum curandorum indicationem, ab aëre ambiente deſumendã eſſe docet. Guido ſiquidem teſtatum reliquit, capitis vulnera longè contumaciora, & curatu difficiliora eſſe Lutetiæ, quàm Avenioni, quia aër Lutetianus frigidus eſt & humidus, cujusmodi aëris conſtitutio cũ capiti & cerebro ſit inimica, non poteſt non eſſe earum partium vulneribus infenſa. Avenioni verò aër ambiens calidus eſt, qui ad capitis vulnera curanda multum confert. Hæc Guido.

Hinc non malè Itali, quoties faſcias vulneribus capitis obductas, reſolvunt, & vulnus denudant, operculum figulinum vel tegulam aliquam calentem vulneri admovent, donec emplaſtra & faſciæ vulneribus iterum obducantur. Inter omnia enim alia capitis vulnera aërem frigidum ſine gravi noxa minimè ferunt.

Cauſa verò mortis in tribus reliquis vulneratis, cùm nec in ſanguinis profuſionem, nec convulſionem, nec aërem ambientem, multò minùs in ipſam vulnerum eſſentiam referri poſſit, eam in vehe-

vehementem aliquam animi commotionem, terrore m cumprimis, referre minimè dubitaverim. Quantum enim terror poſſit, docet Suidas. Quidam, inquit, naturâ timidus, auditâ Herculis famâ, abdiderat ſe præ metu in ſpecum, deinde cùm aliquando proſpectaret, & Herculem forte fortuna prætereuntem videret, exanimatus concidit & diriguit. Sic Julia Pompeji uxor, conſpectâ veſte mariti ſanguine commaculatâ, exſtincta fuit. Lentulus quoque inſperatâ Pompeji morte cognitâ, referente Plutarcho, & ipſe è veſtigio vitam finivit. Multos vidi, qui conſpecto proprio ſanguine, in periculoſum animi deliquium inciderunt. Quibusdam verò terrore correptis fauces ita præcluduntur, ut proloqui non poſſint. Quid igitur mirum, ſi per vehementem terrorem non ſolùm ſpiritus, ſed humores etiam à circumferentia ad centrum confugiant, & cor vitæ ſedem opprimant, id quod Carolo Calvo Rom. Imp. in Italia, ob nuntium minùs gratum acceptum contigiſſe, Cario refert. Neque ſilentio hîc involvendum, quod Manlius in loc. com. ſub. 5. præcep. memoriæ prodidit. Morio, inquit, propter exceſſum aliquem commiſſum, ad confictũ ſupplicium productus fuit, quaſi capitis ſupplicio afficiendus foret. Adeſt lictor, gladium quidem ſtringens, ut terrorem illi injiceret, bacillo verò cervicem morionis leviter percutiens, miſerum hominem exanimatum non ſine ſtupore aſtantium concidere facit. Quòd ſi plures caſus eorum, qui ob conſimiles animi motus derepentè vitam finiverunt, recenſere vellem, actum agerem.

Annon Diodorus & Homerus pudore affecti, ci- tiſſimè exſpirârunt? Annon præ nimio gaudio Philippides, Diagoras, Crotoniata, Policrata fœmina nobilis & alii permulti, quos Plinius aliique Hiſtorici recenſent, è vivis exceſſerunt?

Quapropter vulnera ſuperficiaria, carnoſa nec profunda, nec ex ſua natura lethalia, ab aëre tamen ambiente, aliisque externis accidentibus, cujusmodi ſunt maxima ſanguinis profuſio, convulſio, vehemens & repentinus terror, ſimilesque animi motus, minimè verò à ſyderum poſitu, vel occulta ſtellarum influentia, lethalia fieri, ratione & experientiâ probari poteſt.

QUÆSTIO XXVIII.

An ex percuſſione cervicis, oculi ſuffuſio fieri poſſit? A.

SUtor, ut eſt in leg. 5. §. ult. Digeſt. ad Leg. Aquil. puero diſcenti ingenuo, filiofam. parum bene facienti, quòd demonſtraverit, formâ calcei cervicem percuſſit, ut oculus puero perfunderetur &c. Quæritur hîc, an percuſsâ cervice ſuffuſio vel perfuſio, ut Archetypus habet, fieri potuerit? Ut decidatur hæc quæſtio, ſciendum, ſuffuſionem Græcis ὑπόχυσιν, ὑπόχυμα, vulgo Medicorum cataractam vocatam, nihil aliud eſſe, quàm humoris alicujus affluxum, inter humorem cryſtallinum oculo congenitum & corneam oculi tunicam. Hujus humoris affluentis ea plerumque eſt conditio, ut initiò tenuis ſit & aquoſa, tem-

emporis verò diuturnitate incraſſetur, & pelliculæ allicujus figuram acquirat. Illam Oculiſtæ immaturam, hanc maturam & ad pungendum aptam dicunt. Fernelius tamen libr. & capite 5. pathol. conſummatam ſuffuſionem uno die generari vidit. Si enim craſſus humor derepentè in nervum opticum incidit, ſtatim obcæcat. Cur ergo inquit idem Fern. longiùs ad pupillam prolapſus, repentinam ſuffuſionem eamq́ue perfectam non inferret? Hanc Fernelii ſententiam confirmat caſus à Luſitano deſcriptus cur. 44. cent.7. Mulier,inquit,cui maritus colaphum impegit,eodem die utriusque oculi viſionem perdidit,nullâ in oculis maculâ vel nubeculâ conſpectâ. Simile quid refert Schenckius, lib.1.obſ.de oculis. Camillus Tatzanus cùm vulnus in occipitium accepiſſet, derepentè viſum penitus amiſit. Hanc repentinam cæcitatem Medici admirantes, in diverſas abierunt ſententias. Alii enim ex forti ictu nervos opticos disruptos fuiſſe ferebant,quæ ſententia aliis probabilis non fuit viſa, quia oculi eminentiores non ſunt facti. Alii putârunt,nervos oculorum ex ictu reſolutos fuiſſe: ſed hanc quoq; ſententiam perſeverans oculorum mobilitas infirmavit,in reſolutione enim motus perit. Alii judicârunt, ex validâ capitis concuſſione humorem quendam in cerebri ſubſtantia redundantem,vel ſanguinem, ruptâ aliquâ venâ ad nervos opticos confluxiſſe,eosq́ue obſtruxiſſe,omnemq; videndi facultatem eripuiſſe. Poſtremam hanc ſententiam ex Galeno lib.4.de loc.Aff. & Aëtio lib.2.ſerm.3. c.2.cõprobari poſſe exiſtimo. Credibile igitur eſt,

ſutorem ex forti percuſſione humores cerebri cõmoviſſe, & ad nervos opticos impuliſſe, cæcitatemq́;, obſtructis ab humorum confluxu nervis opticis, excitaſſe.

Sed hanc ſententiam pleriq; Anatomici impugnant, affirmãtes, nervos opticos nullã habere cavitatẽ, nec humorum affluxũ vel obſtructionẽ admittere. Galenus verò, Archangelus, Gemma & Bauhinus, nervos opticos pervios eſſe, & affluẽtib. humoribus obſtrui poſſe indubitanter cũ multis aliis ſtatuunt. Plater⁹ tamen, dum novã ſuffuſionis causã obtrudere conat̃, in manifeſtã contradictionẽ incidere videt̃. Nã c.7. de viſus leſ. diſertis verbis pupillã ab humore vel muco aliquo, interdũ etiã à ſanguine obturari, & viſionis viã intercludi fatet̃. Paulò tamen pòſt aliquot rationib. pſuadere conatur, nullum humorẽ in oculũ influere poſſe. Prima ratio, ſi aliquid humoris in globum oculi influere poſſet, nõ exiguũ illud eſſet, & lẽtis inſtar naſceret̃, ſed oculi totus glob⁹ diſtẽderetur, & veluti hydropic⁹ intumeſceret: ubi n. aliquid influere poteſt, ibi etiã multũ influere poteſt. Sed oculi globus nõ diſtendit̃: ergo nihil influit. ℞. à poſſe ad eſſe nõ valet argumẽtatio. Etiamſi n. multũ influere poſſet, non ſemper tamen multũ influit. Poſſe autẽ quandoq; multũ influere, docet Pare⁹ lib.16.c.13. inquiens, ab influxu humorũ, tanta interdũ fit oculi diſtẽſio, ut oculus medius crepet, & humores cõgeniti effundantur, cæcitasq́; conſequat̃, id quod cõtigit ſorori Lud. Billiaci Mercatoris Lutetiani ad pontem S. Mich. Altera Plateri ratio: In oculo nullũ eſt ſpatiũ inane, quod humorẽ affluentẽ excipere poſſit. Ergo ſuffuſio nõ fit ab humoris affluxu. Reſpõdetur;

etiamſi inane ſpatiũ naturaliter non detur, tamen humoris affluentis impetus, præſertim ſi percuſſione aliquâ, vel caſu humores agitentur, facit, ut tunicæ oculi, illabenti humori cedant. Hujus rei clariſſimum exemplum habemus in pleuritide. Quamvis n. membrana pleura dicta, laterib. thoracis tenaciſſimè adnaſcatur, nullumq; inter dictã mẽbranã, & muſculos intercoſtales, ipſasq; coſtas ſpatium inane relinquat; impetus tamẽ affluentis ſanguinis facit, ut mẽbrana à coſtis & muſculis intercoſtalib. divellatur & affluenti ſanguini cedat. Si ergo ſanguis à nullâ externâ vi agitatꝰ & impulſus membranã divellit, ſibiq; locũ parat; quid ni illud ipſum humores in cerebro abundantes facerent, percuſſione aliquâ & vi externâ cõmoti, ſpatiũ in oculo ſibi pararent? Tertia Plateri ratio. In oculo nulla datur via, per quã humores influere poſſunt. Reſpondetur, per nervum opticum, alioſq; cæcos ductus influxum iſtũ fieri. Haud igĩ video, quàm bene Platerus novã ſuffuſionis cauſam conſtituerit, humoris albuginei, in oculo naturaliter & à primo ortu exiſtentis, incraſſationem. Hæc n. albuginei humoris incraſſatio, quod ipſe Platerus nõ diffitetur, ſubitò fieri nequit; ſed aliquot menſium ſpatiũ requirit. Jam verò ex antedictis patet, ſuffuſionẽ interdũ uno die generari. Quapropter contra Platerũ concludo, ſuffuſionẽ in puero ſutoris, ex forti percuſſione eſſe factã humoribus cerebri ad oculos ꝓtruſis. Etiamſi enim caput pueri haud percuſſum fuerit, ſed cervix; tantus tamen eſt inter cervicem & caput conſenſus & conſpiratio, ut ex tali percuſſione humores cerebri facilè

commoveri, & in oculum præcipitari potuerint, Annon videmus, ſolâ tuſſi pectoriſque agitatione oculos ſæpè ſanguine ſuffundi, per oculos quin etiam ſanguinem in tuſſi rejici? mirum ergo non eſt, percuſsâ cervice, humores cerebri ad oculos raptos eſſe.

QUÆSTIO XXIX.

An armorum unguentum, quod vocant, ad curanda vulnera, nec viſa nec tractata, aliquid conferat? C. N.

TRes ſunt omnino modi, quibus omnium morborum curatio naturaliter perficitur, diæta nimirum ſeu legitima victus ratio, pharmacia & chirurgia, ut docet Gal. com. 1. de vict. ac tex. 6.

Diętam quod attinet, quanquam in Germania noſtra locum rariſſimè inveniat, cùm vel nemo ciborum modum & ordinem ſibi præſcribi patiatur, vel cura iſta non ad Medicos, ſed culinarios communiter rejiciatur: Hippocrates tamen hanc curationis partem tanti fecit, ut librum unum de ſalubri diætâ, tres alios de victus ratione rectè inſtituenda, & alium de victu in morbis acutis obſervando ſcripſerit, quos Gal. ſuis quoque commentariis illuſtravit, & rei iſtius utilitatem cum neceſſitate conjunctam, luculenter demonſtravit, ut quandoq; affirmare non dubitârit, omnem curationem fruſtra inſtitui, in qua bona & accurata victus ratio non obſervetur.

Phar-

Pharmaciam verò quod attinet, quanquam illius adminiſtratio ad rationales & peritos Medicos utplurimum devolvatur; chirurgia quoque à vetuſtiſſimo illo Podalyrio ejusq; fratre Machaone, Æſculapii filiis, magnâ dexteritate & induſtriâ inventa, in Gallia, Italia & Hiſpania à peritiſſimis chirurgiæ doctoribus excolatur, neſcio tamen quo errore in Germania noſtra ad homines Medicinæ rerumque naturalium imperitiſſimos communiter, & quaſi ex magiſtratus decreto devolvatur. Hinc mirum non eſt, hanc Medicinæ partem ex mera inſcitia, partim in crudelitatem intolerandam; partim etiã in ſuperſtitionem Chriſtiano homine indignam, ſæpiſſimè converti. Omiſſis autem infinitis exemplis, quæ in teſtimonium adduci poſſent, novam duntaxat, ineptam & ſuperſtitioſam vulnerum curationem per quoddam unguentum armorum, quod vocant, miris laudibus commendatam, in nullius hominis odium, contemptum & invidiam, ſed ſolius veritatis, veræque philoſophiæ & antiquæ Medicinæ patrocinium paulò accuratiùs examinemus. Cæterùm de ſuperſtitioſa vulnerum curatione nihil dicere poſſumus, niſi quid vulnus ſit priùs ſciamus, & quomodo per proprias indicationes à rationalibus & methodicis hactenus vulnerum curatio inſtituta & feliciter finita fuerit, cognoſcamus. Eſt autem vulnus nihil aliud quàm continui ſolutio, ab inſtrumento aliquo extrinſecus illato corporique inflicto, ut docet Galen. lib. 3. meth. cap. 1. & in lib. de cauſis morb. cap. ult. Sunt autem vulnera non unius modi, ſed in multiplici differentia. Po-

tiores tamen differentiæ à quatuor potiſſimùm fontibus deſumuntur, à loco nimirum affecto, à natura affectus, i.e. vulnere in ſe & ſecundùm propriam naturam conſiderato: Tertiò ab iis quæ vulneribus adjunguntur; Quartò à tempore durationis.

Ratione loci aliud vulnus eſt in ſola cute, aliud in cute & ſubjecta carne ſimul.

A natura vulneris, utpote à figura, magnitudine, æqualitate & inæqualitate.

Ratione figuræ, alia vulnera ſunt recta, alia obliqua, alia transverſa, alia pampini modo retorta.

Ratione magnitudinis alia ſunt parva, alia magna, alia longa, alia ſuperficialia, alia profunda.

Profundorum porrò alia, cum læſione internorum viſcerum, alia ſine læſione illorum.

Ratione æqualitatis & inæqualitatis, alia in totum ſunt aperta, alia partim aperta, partim verò ſub cute latentia.

A rebus præter naturam accedentibus, alia adjunctum habent tumorem, inflammationem, gangrænam, venenum; alia nihil horum.

Alia item conjuncta ſunt cum ſuis cauſis, utpote cum globulis plumbeis, mucrone gladii, teli, ligni. Alia cauſam adjunctam non habent.

Alia item habent dolorem, alia nullum.

Ratione temporis alia ſunt recentia, alia antiqua.

Tot ſunt ipſorum vulnerum differentiæ; quibus ſi cauſarum differentias adjecerimus, haud ferè pauciores inveniemus. In genere verò vulnerum cauſæ ſunt omnia externa inſtrumenta ad ſolven-

ſolvendam continuitatem apta, ut inquit Gal. de cauſis morb. c. ult. quæ nimirum pungendo, incidendo, rumpendo, contundendo, erodendo & perforando lædunt, cujusmodi ſunt acus, ſagitta, gladius, culter, morſus item animalium, eorumq; vel venenatorum vel non venenatorum.

Cùm igitur tot ſint vulnerum differentiæ, tam variæ illorum cauſæ, quis quæſo ſanæ mentis non agnoſcit, unum & idem medicamentum naturaliter etiam vulneri adhibitum & decenter admotum, ne quid dicam de medicamentis ſatis ineptè excogitatis invicemque confuſis, vulneribus longiſſimè & ad duodecim milliaria (uti nonnulli temerè & procaciter loqui non erubeſcunt) remotis, ſoloque inſtrumento vel telo inuncto, indifferenter curandis, minimè ſufficere? diverſa enim vulnera diverſas oſtendunt curandi indicationes. Primùm, quod vulnus ſimplex attinet in externa cute conſiſtens, ſine inflammatione, ſine larga ſanguinis profuſione aliisq; gravioribus accidentibus, ſuâ ſponte, ſine ulla medicina curatur. Si teſtem deſideras, ecce Aëtium lib. 4. ſerm. 2. cap. 26. Parva inquit & ſuperficiaria vulnera ſolius naturæ beneficio, nullius medicamenti ope percurantur. Quod ipſum ſi de gravioribus quoque vulneribus affirmavero, rem fortaſſis novam multisque inauditam, veram tamen nec à ratione vel experientia alienam, mecum teſtabuntur præſtantiſſimi quique chirurgi.

Libavius author eſt, arcularii cujusdam filium minimū digitū acutiſſimo cultro ultra medietatē abſcidiſſe, cumq; omni auxilio deſtitutus eſſet,

digitum ad cohibendum ſanguinem promanantem in ollam glutine fabrorum refertam conjeciſſe, unde perfectè ſine ulla alia medicina curatus fuit. Qui plura exempla & caſus planè ſtupendos cognoſcere cupit, is obſervationes Gravenſpergii inſpiciat. Quin imò nemo ruſticorum ignorat, crura gallorum, aliorumque animalium confracta, nullius medicamenti interventu coaleſcere, ſi modò dextrè priùs in locum naturalem repoſita fuerint. Quid ergò obſtat quò minùs illud in vulneribus carnoſarum partium, ex ſua natura faciliùs coaleſcentium, fiat? conſideremus quæſo caſtrationem animalium, ſexus potiſſimùm fœminini, annon cutis, panniculus carnoſus, partes muſculoſæ ad inteſtina uſque & interna viſcera disſecantur, an non inteſtina volvuntur & revolvuntur, donec extractum ſit, quod extrahendum quæritur. Poſt inciſionem iſtam quid fit? labia vulneris beneficio ſuturæ ad mutuum contactum deducuntur, quandoque nihil, interdum tantillum adipis inungitur, & ſic dimittuntur, vulneribus citra ullam aliam medicationem paucorum dierum ſpatio coaleſcentibus. Quis tam cæcus, qui canes venaticos, aprorum ictibus graviter ſauciatos, abſque ulla medicina ſanatos non vidit? Si hominum alicui talia inflicta fuerint vulnera, in quibus ſola inteſtina in conſpectum veniant, bone Deus, quantâ anxietate, olea, unguenta, emplaſtra, fomenta & potiones vulnerariæ adminiſtrarentur: vel quantâ ſuperſtitione telum inungeretur, vel lardo infigeretur, cùm tamen ſola natura curationi perficiendæ ſufficiat. Interim haud

nega-

negaverim, vulgarem vulnerum curationem, ad devitandos vel certè minuēdos dolores, omnemque cicatricum deformitatem præcavendam plurimum prodeſſe.

Quòd ſi verò vulnera ampliora fuerint, vel profundiora, vel æger citò, blandè, ſine dolore, aliisque accidentibus deterioribus percurari velit, neceſſum eſt ut diverſis indicationibus & ſcopis, à veteribus & recentioribus Medicis, Græcis, Arabibus & Latinis, Hippocrate nimirum, Galeno, Avicennâ, Aëtio, Oribaſio, Æginetâ, Celſo, Vigone, Arantio, Aquapendente, Fuchſio, Fallopio, & infinitis aliis, magno ingenii acumine nobis relictis ordine ſatisfaciamus.

Eſt autem prima indicatio, ut ſanguis ex vulnere copiosè profluens, ſiſtatur. Secunda, ut inflammatio arceatur. Tertia, ut labia vulneris ad mutuum contactum deducantur. Quarta, ut malignitas vel venenum, ſi quod vulneri ſimul illatum, extrahatur. Quinta, ut pus bonum, molle, læve, album, & æquale generetur. Sexta, ut caro per putredinem ablata reſtituatur. Septima, ut cicatrix minimè deformis obducatur. Et ſanè primā indicationem quod attinet, quam Hipp. ſuo more quàm breviſſimè lib. 6. Epid. ſect. 5. text. 11. & Gall. in lib. de ocul. perſtringit, nemo non agnoſcit, ante omnia alia opera, ſanguinem impetuosè promanantem ſiſtendum eſſe. Sin minùs, tum nec labia vulneris ad mutuum contactum adduci, nec aliæ intentiones compleri poſſunt. Oribaſius igitur ad ſiſtendum ſanguinem, germina quercus, terram Lemniam; Aëtius anagallidem & folia

cyſti: Celſus paſtillos ex galla, alumine & malo punico confectos commendat. Recentiores verò, Vigo, Fallopius, Fuchſius & plures alii, ovi albumen probè ſubactum & conquaſſatum, ſtupâ canabinâ exceptum vulneribus imponunt, & ſic ſanguinem reprimunt.

Secundæ indicationi, quæ in arcenda inflammatione conſiſtit, neceſſariò quoque ſatisfaciendum: cùm enim ad omne vulnus, ratione doloris per vulnus excitati, copioſus ſanguis ad partem ſauciatam & dolentem confluat, unde non ſolùm labia vulneris, ſed partes etiam proximæ valdè intumeſcunt, & difficilem aliorum medicamentorum adminiſtrationem vulnerisque tractationem pariunt; neceſſum omninò erit, ut maturè inflammationem vel præveniamus, vel jam factam ſtatim repellamus. Huic autem ſcopo ſatisfit per refrigerantia & aſtringentia, extrinſecus vulneri impoſita, cujusmodi ſunt ung. Ceruſſæ. linimentum de lap. calam. de Bolo arm. terrâ ſigillatâ, plantagine, pentaphyllo & ſimilibus aliis.

Tertia indicatio, de uniendis vulnerum labiis uſq; adeò neceſſariam requirit ſatisfactionem, ut ſine ea, nec ullum vulnus ex gravioribus curari, nec extrema quæque pericula ſupervenientia devitari poſſint. Quàm verò huic indicationi per unguẽtum armorum nullo modo ſatisfieri poſſit, ipſi unguentarii, niſi depoſito omni pudore manifeſtæ veritati vim facere velint, fateri coguntur. Imò nulla medicina in hunc uſque diem fuit inventa, quæ huic ſcopo ſatisfacere poſſit, multò minùs nugaciſſimum unguentum omnibus ſco-

pis ſatisfaciet. Solæ induſtriæ manus hîc requiruntur, quæ beneficio ſuturarum vel fibularum etiam vulneris labia ab invicem distracta, ad mutuum & naturalem contactum decenter adducant, niſi prçter deformem hiatum, conſolidationem etiam vulneris in longum, non ſine plurimis periculoſis accidentibus, extrahere velis. Hîc verò noſtrorum chirurgorum crudelitatem intactam relinquere nõ poſſum, qui afflictos miſereq; ſauciatos ſæpiſſimè ſine ulla neceſſitate, haud tamen ſine magno novoque dolore, inflammatione ſanguinisq; profuſione conſuunt, cùm tamen emplaſtra ex rebus cuti tenaciſſimè adhærentibus parata, juxta vulneris labia poſita, cutis vicem ſuſtinere & ſuturam excipere, & ſic ad mutuum contactum ſine ullo dolore trahere poſſint. Eſt enim prçclara Hip. lib. dç vict. ac. ſententia, dandam eſſe operam, ut omnis medicatio citra dolorem adminiſtretur.

Quòd ſi autem teli vel ferri particula vulneri inhæſit, nec manibus aliisque inſtrumentis extrahi poſſit, danda erit opera, ut ſucceſſu temporis, mediante ſuppuratione, minori cùm moleſtia & doloris ſenſu blandè educatur.

Nec minus ſolicitè & ſolerter circumſpiciendum & conſiderandum, an aliquid veneni cum telo vel ſpiculo ſimul vulneri ſit illatum, ut illud ipſum quoq; arte extrahatur. De educendo telo, nonnulli à Virgilio decepti in vanam devenerunt perſuaſionem. Dictamum in Ida monte decerptum, vulneribus impoſitum, citra dolorem omnis generis ſpicula educere. Alii non minori conatu irrito, emplaſtra ex magnete vulneribus

inducunt, ſperantes, ferrum ſic extrahi poſſe. Alii adipem leporinum occultâ proprietate id poſſe pueriliter ſomniant. Cùm tamen, niſi manuum aliorumque inſtrumentorum operâ id fiat, ſuppurationis potiùs tempus expectandum ſit, quàm telum variè agitando & intorquendo majorem dolorem & inflammationis metum concitare.

Ad promovendum igitur pus bonum medicamenta, Græcis ἐκπυητικὰ dicta, uſurpanda erunt, quæ humores & quicquid ad partem vulneratam præter naturam affluxit, in pus bonum convertant. Hæc verò ſecundùm Fernelium in duplici ſunt differentia. Alia enim per ſe & propriâ ſuâ virtute inſiti noſtri caloris vim tuentur, proinde temperatè calida, nec naturæ partis, cui foris adhærent, diſſimilia ſint neceſſe eſt, ut illum ipſum quoque humorem, qui corruptus eſt & à natura ſua deſcivit, calore ſuo illuſtrare & ad bonam ſuppurationem deducere poſſint. Alia ex accidenti pus movent, ſuntque ferè emplaſtica; quæ, dum cutis ſpiracula infarciunt & obſtruunt, ſpiritum & calorem nativum intra partem affectam cohibent, nec diſſipari ſinunt; unde neceſſariò partis calor, qui afflictus erat, reſuſcitatur, humor corruptus mitigatur, concoquitur, & in pus bonum convertitur. Suppurantia igitur medicamenta cum temperatè calida & humida ſint, apparet, illa admodum contraria eſſe iis, quibus priores indicationes implentur, quippe quæ frigida ſunt & ſicca. Ex ſuppurantium igitur numero ſunt, adeps vitulinus, porcinus, leporinus, humanus, ſanguis colum-

columbinus, crocus, althea, liliorum alborum radices, farina hordei, tritici, &c.

Venenum porrò vulneri illatum, niſi ſuctu hominis alicujus, pretio ad id conducti, extrahatur & ſubinde exſpuatur, vel per podicem galli deplumatum vulnerique impoſitum roſtro illius per intervalla leviter compreſſo, evocari poſſit, impendenda erit omnis opera, niſi funeſtum ægri interitum expectare velimus, ut antidotis & alexipharmacis quàm maximè propriis, veneni pernities in vulneribus enervetur & exſtinguatur.

Quòd ſi carnoſa aliqua particula vulneris per putredinem ablata fuerit, regeneranda erit, quanquam autẽ hoc proprium naturæ opus ſit; quodcunq; tamẽ medicamẽtum ulcus vel vulnus moderatè ſiccat, ejusque ſordes blandè & citra morſum deterget; quoniam ſanguinem, qui gignendæ carnis eſt materia, tuetur, & impedimenta omnia ſubtrahit, vulnusque purum conſervat, ſarcoticum & carnem regenerans dicitur. Tale medicamentum ſubſtantiam habet mediocrem, qualitatem verò moderatè calidam & ſiccam, ut ſunt orobum, thus, manna thuris, ſarcocolla, aloe lota, myrrha & ſimilia. Decentem denique vulneribus cicatricem inducunt ea medicamenta quæ vehementiùs exſiccant, & cicatricem cuti ſimillimam cogunt. Craſſiorem quoque hæc medicamenta ſubſtantiam habent, ut carnem fortiùs conſtringant, contrahant & condenſent, qualia ſunt quæ nullum calorem ſed frigus quoddam participant, ut ſunt: Lithargyrus, balauſtium, myrtus, lapis calaminaris, ſcoria ferri, plumbum

uſtum, vitriolum, ſquamma æris & ſimilia, quorum tamen poſteriora quandoque abluenda, ut acrimoniam nimiam, ſi opus ſit, deponant.

Habes ſuccinctum curandi vulnera modum rationalibus medicis uſitatū, & felici ſucceſſu per tot ſecula comprobatum: Accipe nunc novam curandi viam, quam non ſolum agyrtæ, veſpillones & fex populi, ſed quam philoſophorum etiam non pauci, contra omnem tamen rationem in philoſophia fundatam, ſuperſtitioſè recipiunt, commendant, acriterque propugnant.

Telum igitur ſeu inſtrumentum quo vulnus fuit inflictum, vel ſi id haberi nequit, lignum aliquod, vel quicquid ſit, quod vulneri aptari & immitti, vel ad minimum ſanguine hominis vulnerati commaculari poſſit, unguento quodam, adhibitis fucatis ceremoniis, ut majorem fidem res mereatur, illinunt, & linteis faſciis ligant, in loco neq; nimis calido neq; frigido ſed temperato aſſervant & cuſtodiunt: alii etiam in ciſta illud concludendúm, alii ſuspendendum eſſe volunt, ſin minùs, acrem dolorem vulneratis inferri credunt. Unguentum illud licet à diverſis autoribus diverſimodè paretur, ſequentes tamen deſcriptiones ſunt uſitatiſſimæ.

℞. lardi de apro ad ignem liquefacti, & ſupra aquam frigidam fuſi quantum ſufficit, pul. lumbricorum terreſtrium in furno crematorum & pulveriſatorū, lapidis hæmatitis, ſantali rubei, uſneæ de cranio hominis an. q. ſ. miſc. ad ignem. Hęc deſcriptio autorem habet Colonienſem. Baptiſta Porta, ex Paraçelſo, ut putatur, hanc ponit deſcriptionem.

℞.

℞ Uſneæ concretæ in calvaria hominis laqueo extincti ℥ ij. mumiæ ſanguinis humani ℥ ij. ping.hum.℥ ij. ol.lin. Terebinth. Bol.arm. an.℥ ij. fiat mixtura in mortario & ſervetur ad uſum. Uſus verò hujus unguẽti talis eſt. Quòd ſi vulnus punctim fuerit inflictum, inunctio quoque (ſuperſtitioſas cæremonias nota) à mucrone ſurſum verſus capulum duci & eò uſq; extendi debet, quousque intra corpus fuit infixum, vel ſi id ignoretur, ad capulum uſq;. Sin cæſim vulnus fuerit inflictũ, tunc ab acie ducenda eſt inunctio verſus tergum gladii vel cultri. Huic inunctioni ligaturam addunt nõ minùs ſuperſtitioſam, ligant.n. non vulnus ſed telum inunctum, ita ut vulnerib. punctim factis, ligatura à cuſpide inchoëtur ſurſum illã ducendo: ſin cæſim, tũc ab acie faſciæ ducuntur verſus tergum. Interim ægri ſeu vulnerati nullam curam habent, nihilq; referre aſſerunt ſive præſens ſit, ſive ad duodecim milliaria abſens. Alii tamen, quibus ſenſus eſt paulò melior, ſingulis dieb. vulnera ſimul lavant cum urina vel vino, probeq; purificant, quib. ritè peractis vulnera ſæpiſſimè aliud nihil deſiderant. Qui mihi idem facere videntur, quod balneorum tubicines, quos Fernelius vocat, qui ægros recuperandæ ſanitatis fiduciâ ad thermas relegant, interim tot pharmacis ſimul illos onerãt, quot deglutiendis & devorandis vix decem alii ſufficerent, omnis interim effectus non medicamentis ſed thermis aſcribitur. Unum igitur eſt medicamentum, unguentum ſcilicet, non ipſi vulneri ſed telo ſanguine vulnerati cõmaculato in

loco etiam remotiſſimo, adhibitum, cui totam vulneris curationem aſcribunt.

Jam verò ſi indicationes ſuperiùs expoſitas ex conſenſu omnium rationalium & methodicorum Medicorum in curandis vulneribus probatas & confirmatas conſideraverimus, luce clariùs apparebit, modum illum curandi vulnera per unguentum armarium minimè naturalem vel ſufficientem, ſed ridiculum, inanem omnique ſuperſtitione plenum eſſe.

Primùm ſiquidem apparet, unum & idem medicamentum non poſſe contrariis indicationibus ſatisfacere, jam verò demonſtravimus, primæ & ſecundæ indicationi per frigida & ſicca; quintæ verò per calida & humida ſatisfaciendum. Præterea impoſſibile eſt ut tertiæ & reſpectivè quartæ indicationi per ullam aliquam medicinam ſatisfiat.

Neque hoc loco valet ſi dixeris uſneam, hæmatitem & ſantalum primæ & ſecundæ indicationi ſatisfacere; conſtat enim, ſimplicia medicamenta, quæ compoſitum aliquod conſtituunt, ſuas facultates in mixtione non retinere. Expreſsè enim & verè inquit Gal. non eſſe in mixto quod erat in ſingulis: Contrariarum ſiquidem qualitatum ſimplicia in mixtione neceſſariò ſe invicem obtundunt, donec remittentibus ſingulorum viribus novæ emergant facultates, ex illorum concurſu provenientes. Contra naturam enim eſt omnibusque ſenſibus contrarium, unum & idem refrigerare, calefacere ſimulque obſtruere. Sin ad tertias & occultas rerum qualitates confugere conaris,

ris, nihil obtinebis: Omnium ſiquidem phyſicorum & Medicorum conſentiens eſt doctrina, occultas rerum qualitates plurium admixtionem minimè perferre. Quemadmodum igitur plura ſimplicia ſimiles qualitates habentia, ſi commiſceantur, ſimul ſeſe mutuo fovẽt; Sic contrariarũ qualitatum ſimplicia invicem confuſa, non niſi mutuo ſeſe oppugnant, deſtruũt & demoliuntur. Vinum e.g. quin ventriculũ calefaciat, nemo dubitat; ſi multum aquæ huic affundas, tantum aberit, ut calefaciendi vires retineat, ut potiùs refrigeret. Quòd ſi quis menſtrua promovere velit & potionibus aperitivis, ex artemiſia, pulegio, meliſſa & ſimilibus paratis, adjiciat tormentillam, biſtortam, lyſimachiam, pentaphyllum vel alia adſtringentia, quis talẽ medicaſtrum non derideret? Impoſſibile ſiquidem eſt, quin ex imperita iſta confuſione, ſingulorum ingredientium vires obtundantur, & infeliciter operentur.

Quanquam igitur in ungu. armario non deſint quædam ad ſananda vulnera accommodata, quia tamen ineptè confunduntur cum aliis, nec ſeorſim debitoq́ue tempore, ſed indifferenter uno eodemq́ue tempore uſurpantur, non niſi labor inanis, ſi modò telum inungere labor eſt, ſuſcipitur. Poſito tamen, minimè verò conceſſo, in unguento armario ſingulorum ſimplicium qualitates minimè deſtrui vel enervari, ſimulq́; vel eodem tempore omnibus ſcopis ſatisfacere; hoc tamen ſcire velim, quomodo unguenti facultas de telo inuncto peregrinando ad vulnus duodecim milliaria remotũ, tranſire poſſit? In ſcholis ſiquidem phy-

ſicorum tritum eſt & vulgare, inter agens & patiens mutuum requiri contactum. Hîc verò magneticum, ſpirituoſum & neſcio quem ſympathicum contactum, revera tamen nihil præter inanium verborum ſtrepitum objiciunt.

Magneticum enim contactum quod attinet, quanquam certum ſit, magnetis vim ad ferrũ paulò etiam remotiùs transire; ſimul tamen lippis & tonſoribus etiam notum eſt, ferrum à magnete remotiſſimum nihil affici: ſic unguentum arm. in vulneribus remotiſſimis percurandis planè inefficax eſſe ſtatuimus.

Tantum igitur abeſt ut comparatio iſta magnetis & ferri, cũ unguento & vulnere procedat, ut potiùs rem totam deſtruat planeq́; evertat.

Poſſem hoc loco unguentariis longè ſpecioſiorem unguenti ſui probationem ſuggerere à ſimilitudine ſurculi corylorum deſumptam. Hunc enim ſurculum, rei metallicæ periti protenſis ambabus manibus circumferunt, fodinas metallicas inveſtigaturi, cumq́ue ſupra metallorum latebras incedunt, tertia ſurculi extremitas, quæ manibus non contrectatur, proprio & occulto motu ad terram defertur, metallicas divitias digito quaſi commonſtrans. Hujus rei cauſam inveſtigantes, dicunt inter metalla & corylum, in montibus metallicis utplurimum creſcentem, magnam eſſe ſuccorum affinitatem & ſimilitudinem, unde iſta ad terram inclinatio excitetur. Hæc tamen ratio quantum valoris habeat, aliorum judicio commendo. Nolo enim hoc in loco operoſiùs regerere, diverſiſſima ſæpè metalla in uno aliquo monte occul-

occultari, quæ diverſos, imò contrarios habent ſuccos, ut fateri neceſſe ſit, ſurculum coryli vel omnium ſuccorum metallicorum cognationem & ſimilitudinē habere, vel unius duntaxat. Si omnium dixeris, habebit corylus naturam ſibi invicem cōtrariam: ſi unius? quæro quomodo ergo omnia metalla unius coryli ſurculo inveſtigentur? Intactum etiam hîc relinquitur, cur eandem proprietatem non habeant aliarum arborum in montibus metallicis naſcētium, eodem terræ ſuccô, quò etiam metalla iſta, enutritarum ſurculi. Hoc duntaxat ſcire velim, cur extremitas ſurculi à rerū metallicarum perito geſtati ad terram inclinet; ſi verò ab imperito aliquo ruſtico, eodē planè modo, extenſis ambabus manibus circumferatur, minimè ad terram inclinet, etiamſi conſtet, metallicas ibi fodinas eſſe, an occulta aliqua vis à manibus viri metallici ſurculo accedit? Meræ igitur ſunt impoſturæ, quibus ſurculum occultè & inſenſibiliter intorquent, ut principum loculis inſidientur.

Quod de ſpirituoſo rerum naturalium conſenſu proferunt, æquè eſt infirmū. Quanquam .n. ſingulis rebus naturalibus, ſpiritus quidam ineſt, quem vectorium illi vocant, qui ad res maximè ſibi cognatas, familiares & congeneres, occulto & inexplicabili naturæ motu fertur; exemplo tamen magnetis jam patet, talem virtutem in immenſum ſpatium minimè diffundi poſſe. Eſto tamen, ſimplicium ſpiritus ad res ſibi congeneres, etiam ad multa milliaria abripi, hoc tamen duntaxat ſequetur, ſpiritum terebinthinæ, uſneæ,

ſantali, boli, hæmatitis & humani adipis minimè ad carnoſum vulnus, ſed ad terebinthũ, uſneam, ſantalum, hæmatitem, bolum & adipem deferri: vel exponant nobis, quænam ſit inter res iſtas & vulnus carnoſum cognatio & ſimilitudo, an non bolus, hæmatites, ſantalum & uſnea, res ſunt terreſtres frigidæ & ſiccæ, vulnus carnoſum, calidum & humidum? Si dixeris, ſanguinem humanum telo aſperſum facultatem uſneæ, hæmatitis, ſantali, boli & reliquarum ſpecierum ſecum ad vulnus conſanguineum deferre; tunc reſpondemus, impoſſibile eſſe, tantillum ſanguinis telo adhærentis, facultatem reliquarum ſpecierum tam numero quàm quantitate prævalentium ad vulnus ſecum deferre poſſe. At, inquis, forſan mumiam ſanguinis humani, uſneam cranii humani & adipem humanum, facultatem ſanguinis telo adhærentis promovere &ad vulnus dirigere. Verùm ſi ſpecies iſtæ de partibus humani corporis deſumptæ, unà pharmaci vim ad vulnus deferunt, quî fit, ut pharmaci vis ad vulnus Cornelii, & non ſimul ad vulnus Scipionis aliorumque hominum in conflictu aliquo vulneratorum deferatur. Hîc ad aſtra & planetarum influentias confugiunt. An non, inquiunt, hunc ferit Saturnus, illum reſpicit Jupiter, alium bellicoſus exagitat Mars; mirum igitur non eſt, vim unguenti ad hoc vel illud individuum, non ad omnia vulnera ſimul, cæco & abdito prorſus motu deferri. O bellam fabulam, quam nemo, præter deliros quoſdam calendographos, credit. An non veneranda antiquitas, ſaniores quoque Aſtronomi demonſtrant, univerſam ter-

ram, ſi ad cæli complexum referatur, eſſe inſtar puncti anguſtiſſimi. Quomodo ergo eſt poſſibile, ut ex ampliſſimo illo complexu virtus aliqua in minimam anguſtiſſimi illius puncti particulam, quam hic vel ille conſtituit, præterito toto illo amplexu influere poſſit?

Quemadmodum igitur ridiculum eſt, ſydus aliquod mihi ſoli, & non ſimul aliis infortunium promittere, Saturnum in me ſolum ſævire: Jovem hunc clementer aſpicere, tot alios negligere, ſic etiam cachinno dignum, quod dicunt, vim unguenti in determinati duntaxat hominis vulnus abripi. Rationem deniq; unguentarii adferant, quomodo unguentum ex particulis corporis humani paratum, animalium quoque vulnera (quod aſſerunt) conſolidet, quænam hîc ſimilitudo & familiaritas inter aſinum & hominem, niſi fortè inter aſini & ſuperſtitioſi alicujus hominis intellectum ſimilitudo detur.

Quæſiverim deniq;, quomodo à tantillo ſanguinis concreti tanta ſpiritus vectorii vis promanare, multiplicem faſciarum ſuperinductarũ convolutionem tranſire, ciſtam perrumpere, ad remotum vulnus in lecto forſan & cubiculo undiq; concluſo repoſitum permeare poſſit. Radii certè ſolares vires ſuas, aëre exiſtente turbido, ad corpora noſtra extendere nequeunt, ut dubium non ſit, ſpiritum ipſum vectoriũ à ventorum turbine millies disjici, antequam ad vulnus perveniat. Sed Piſtorius in fide & arte Medica bis factus apoſtata, phyſicos deridet, quoties arcanarum operationum cauſas perſcrutari & inveſtigare conantur,

cùm fidei potiùs illas aſcribendas eſſe exiſtimet. Sed transeant etiam iſtæ nugæ in Papatus tenebris excogitatæ. Qui in pietatis ſchola profecerunt, fide, longè præſtantiora bona, quàm curationem vulnerum, conſequuntur.

Sympathiam deniq; quod attinet, quam licet fruſtra ingeminent, cùm à virtute magneticâ & conſenſu ſpirituoſo nihil differat, videbimus tamen, quid ſaniores philoſophi de ea ſentiant. Cic. ſympathiam vocat quandam rerum convenientiam, alii harmoniam, eamq; definiunt, quandam inter res naturales, quę ſe mutuo favore excipiunt & proſequuntur, cōſenſionem. Hæc, exempli gratiâ, in corpore humano duplex eſt: Una, quâ partes humani corporis, vel per manifeſtas & conſpicuas vias, vel per abditos & occultos meatus, cōſpirant & conſentiunt. Talis ſympathia intercedit inter epar & cor per venam cavam, inter cor & lienem per arterias multiplices, inter uterum & mamillas per venam epigaſtriam, inter totū deniq; corpus humanum per occultos meatus, quos Hippocrates omnium primus notaſſe videtur.

Altera ſympathia, quâ partes ejuſdē ſubſtantiæ invicem conſentiunt, e. g. uterus & ventriculus, organa nervoſa cum cerebro omnium nervorum principio magnâ familiaritate conſpirant & conſentiūt. Nunc quęſo te, ſenſum humanū recollige & conſidera, quænam ſympathia eſſe poſſit, inter ſanguinem extra venas propriaque conceptacula effuſum, teloq; concretum & quaſi congelatum, frigidum & ſiccum, omniq; ſanguinis formâ privatum, & inter ſanguinē in venis fluidum calidum

& hu-

& humidũ, maximeq; ſpirituoſum: ille vim habet ſiccandi, conſtringendi, repellendi, unde pro ſecreto remedio à nõnullis uſurpatur in hæmorrhagia nariũ compeſcenda, hic verò calefaciendi, penetrandi & vivificandi facultatem poſſidet. Nulla igitur & ne minima quidẽ hîc occurrit ſympathia, quam tamen, ſi maximè concederemus, nuſquam tamen tutò ad loca remota transiret, quę n. in uno aliquò vivo & conſpirabili corpore concluſa ſunt, liberrimè conſentiunt, ſeq́; mutuò afficiunt, quæ verò ab invicẽ disſita ſunt, minimè. Hæc quidem ab asſertoribus unguenti armarii de novo curandi vulnera modo, in medium adferuntur, ut tamen fucus & ſuperſtitio plus fidei & authoritatis mereantur, fucum fuco addunt, ritusq́ue ſuperſtitioſos cumulant: Nonnulli ſiquidẽ telum ſingulis dieb. inungunt, alii alternis vel ternis diebus inunctionem repetũt, alii verò unicâ inunctione ſunt contenti. Quidam etiam telum inunctum in conclavi temperato ſuspendunt, alii in ciſta probè munita cuſtodiunt. Omnes tamẽ diligenter proſpiciendũ & cavendũ monent, ne telum ſordib. inquinetur, vel in loco impuro aſſervetur, eò quòd ſanguis telo adhærens citra graviſſimũ vulneris dolorem, & conſolidationis impedimentum, nihil impuritatis perferre poſſit, cùm tamen longè major ejusdem ſanguinis ſupra terrã effuſi copia, quotidie, nõ ſolùm pedibus conculcetur, ſed animaliũ quoq; excrementis turpiſſimè defœdetur. Si ergo evaporatio de tantillo ſanguine telo adhærente, commaculata, ad vulnus transvolat idq́; divexat, cur idem non faceret longè major ſanguinis ſupra terram effuſi & conſpurcati copia? Quocunque ergo ſe

vertant unguenti defenſores & patroni, nihil ſolidi, nihil quod veram & antiquam philoſophiam ſapiat, in medium proferunt, ſed fucum, impoſturam, ſuperſtitionem. Quapropter, ut negotium totum breviſſimè complectar, cùm in naturali & methodicâ vulnerum curatione plures indicationes eæque differentes occurrant, quibus certo ordine, prout diverſa vulnerũ tempora requirunt, ſatisfaciendum, inter vulnus quoque & medicamenta nõ ſolùm mutuus contactus, ſed manuum quoq; operatio neceſſariò requiratur, unica verò Medicina, quæcunque illa ſit, diverſiſſimis indicationibus ſatisfacere nequeat, neq; etiam diverſiſſimarum facultatum ſimplicium in una compoſitione ſine virium deſtructione conſiſtant, cùm deniq; nullius medicamenti virtus ad multa milliaria ſeſe extendat, firmiter concludimus, per unguentum armarium vulnera naturaliter minimè percurari, ſin quædam curentur, illa talia omnino eſſe, quæ ſuâ ſponte ſine ulla Medicina, vel ſuperſtitioſo etiam ritu perſanari etiam potuiſſent.

QUÆSTIO XXX.

An potiones vulnerariæ aliquid conferant? C.N.

AD conſolidanda & curanda vulnera, chirurgis nihil tam familiare & uſitatum eſt, quàm præter emplaſtra aliaque pharmaca extrinſecus impoſita, potiones quoque quas vulnerarias vocant, ex ſanicula, virga aurea, alchymilla, py-

rola,

tola,pervinca, tormentilla aliisque herbis & radicibus facultate adſtringente & exſiccante præditis,exhibere;cùm tamen apud Galenum aliosq; veteres, altum de hisce potionibus ſit ſilentium.

Aëtius quidem libr.1.ſerm.1. ciſtum cum vino potũ ad dyſenterias, ulcerata ſcil. inteſtina commendat; ad vulnera verò externa curandá ciſtum extrinſecus imponit. Ad eundem modum Orib. lib.2.de ſimpl.fac. pro externo medicamẽto commendat folia quercus, de uſu verò interno ne gry quidem. Quanquam verò Aquapendens lib.2. de vuln. c.4. afferat, potiones vulnerarias olim chirurgis uſitatas fuiſſe, nullum tamen nominat, ſed catalogum quorundam ſimplicium tradit,ex quibus ejusmodi potiones parentur, in quorum tamen numero calida & frigida, adſtringentia & aperientia ita confundit,ut vix appareat,cujusnam facultatis potiones iſtæ ſint. Ex calidis enim & aperientibus ſunt pimpinella (niſi forſan per pimpinellam intelligat ſanguiſorbam, ut perperam nonnulli faciunt) Centaurium, Artemiſiam,Betonicam,Veronicam, Ariſtolochiã, Gentianam, Scordium, carduum Ben. Ex frigidis & adſtringentibus ſunt Symphitum, Pyrola, Sanicula,Alchymilla, Herniaria,Bolus.

Matthiolus verò com.4. in Dioſc.ad vulnerarias potiones parandas refert merè frigida & ſtyptica,Pyrolam ſcil.Equiſetum, Agrimoniã(quam rectè clariſſ.Platerus contra Herbarios vulgares adſtringere potiùs quàm aperire docet)Tormentillam, Pervincam, Sanguiſorbam, Piloſellam, Virgam auream,Symphitum &c.

MEDICAL SOCIETY EST

Si quis huc referat Nic.Maſſam, qui parte 2. Epiſt.11. refert, ſe aliquot vulnera Venetiis per potiones vulnerarias curaſſe, quæ ab aliis curari non potuerunt: Huic reſpondetur, ejusmodi potiones in vulneribus quidem thoracis uſurpatas, non fuiſſe potiones vulnerarias propriè dictas, ſed diureticas. Cùm enim Maſſa ſidiciſſet, pectoris vitia per vias urinæ commodiſſimè evacuari, & verò in vulneribus pectoris purulenta materia ſæpè in pectoris cavitate moretur, ibique vitæ pericula minetur; potiones diureticas præſcripſit, quas vulnerarias vocat. Hinc aliquoties in iſta Epiſt. addit, urinas potenter fuiſſe commotas. Per easdem potiones Saccomannũ ex vulnere thoracis jam Empyematicum factum curavit, materiam purulentam per urinam movendo. Maſſæ igitur intentio non fuit, ut vulnera thoracis conſolidaret, quam intentionem proponunt ſibi chirurgi ſuis potionibus adſtringentibus, ſed ut materiam purulentam per vias urinæ deduceret.

Matthiolum & Aquapendentem quod attinet, reſpondetur, potiones vulnerarias non in univerſum & ſemper improbari, ſed tũ admitti, quando ea eſt partium vulneratarum conditio, ut potiones cum moderamine adſtringentium pręſcriptę, ad partes vulneratas ſine lęſione partium nobiliorum transire poſſint. Quòd ſi verò vulnera in brachiis, pędibus vel capitę exiſtant, ineptum eſſet & ridiculum, per potiones iſtas adſtringentes aliquid moliri velle, eò quòd impoſſibile ſit, potiones adſtringentes eouſque transire.

Sed hîc inſtare quosdam ſentio; Annon, inquiunt,

quiunt, per decoctum Guajaci, Chinæ, Saſſafras &c. curantur ulcera in capite & extremis pedibus. Sed huic inſtantiæ facilis eſt ſolutio; decocta enim illa habent vim penetrandi, etſi non primis diebus, ſucceſſu tamen temporis ad loca remota transeunt, quando ſcilic. ipſe ſanguis Guajacinus quaſi factus eſt. Alia verò & contraria omnino eſt conditio potionum vulneribus præſcriptarum, quæ utplurimùm ex validiſſimis adſtringentibus conficiuntur, ut impoſſibile ſit eas propter vim adſtringendi, eouſq; excurrere poſſe; & ſi maximè ſucceſſu temporis excurrere poſſent, ſine multiplici tamen offenſione & obſtructione nobiliorum viſcerum, epatis, lienis, renum, & totius venoſi generis minimè eouſque transirent, ideoque plus incommodi, quàm commodi præſtarent. Quapropter licet ſimplicia illa, quæ vulneraria dicuntur, & facultatem adſtringendi habent, extrinſecus tempeſtivè admota plurimũ poſſint; intrinſecus tamen vel nihil utilitatis, ſed damni plurimùm inferunt, vel ſi ad conſolidandum aliquid præſtent, epar tamen aliaque nobiliora viſcera obſtruendo, plus nocent quàm proſunt. Sæpè igitur inſcitiam & temeritatem multorum deridere ſoleo, qui affirmare non erubeſcunt, ſe vidiſſe ejusmodi potiones eo colore & ſubſtantiâ ex vulneribus pedum promanare, quo colore ebibitæ fuerint,

QUÆSTIO XXXI.

An incantationis aliqua ſit efficacia naturalis? C. N.

PLin. libr. 18. & 20. natural. hiſt. autor eſt, omni tempore de efficaciâ & potentiâ incantationis disputatum fuiſſe. Eandem libertatẽ nobis quoq; conceſſam eſſe putabimus. Primùm autem inquiremus, an incantatio idem ſit quod magia. Ad hujus rei cognitionẽ forſan nos deducet ipſi⁹ vocis conſideratio. Magiæ verò vox eſt à mago, quæ dictio Perſica eſſe putatur. Perſæ autem per magos eos ſignificabant, quos Græci philoſophos, Latini ſapientes, Galli Druydas, Ægyptii ſacerdotes, Indi Gymnoſophiſtas, Aſſyrii verò Chaldæos nominabant. Hinc legimus Act. 7. v. 22. Moyſen in omni ſapientia Ægyptiorum inſtitutum fuiſſe. In hac ipſa magia magos orientis exercitatos fuiſſe, nullum eſt dubium, ſiquidem ex apparitione ſtellæ novæ cognoverunt, aliquid miraculoſi accidiſſe. An ejusdem generis magi fuerint, quorum Cicero mentionem facit in lib. de divinat. dum inquit, neminem apud Perſas regio faſtigio potiri, qui in magia probè verſatus non ſit, de eo ſubdubitare, quàm aliquid pronuntiare malo.

Verùm quod pleriſq; artibus accidere ſolet; id magiæ quoque accidit: Quò enim artes ſunt ſublimiores, eò majori conatu & diaboli malitiâ pervertuntur; ut pro luce tenebræ, pro ſalutari doctrinâ commenta impia irrepant. Sic etiam ſucceſſu

ceſſu temporis conceſſa illa magia & ſapientiæ ſtudium in ſuperſtitionem & fraudem diabolicam deflexit.

Quo verò tempore illa magia naturalis in diabolicam degeneraverit, liquidò non conſtat.

Nonnulli putant, Zoroaſtem Bactrianorum regem, quem hiſtorici tempore Abrahami vixiſſe perhibent, primum fuiſſe magiæ diabolicæ inventorem.

Peucerus ante diluvium cœpiſſe, poſt diluvium verò in maximam generis humani partem diffuſam fuiſſe exiſtimat. Utut iſta ſe habeant, rectè Lactantius & Euſebius, diabolum hanc cum omnibus aliis improbis artibus invexiſſe tradunt.

Duplex igitur erit magia, una legitima, quam naturalem vocant, quæ nihil aliud fuit, quàm ſapientiæ ſtudium: Altera illegitima, ſuperſtitioſa & diabolica, quæ tota in verbis & verborum murmure, ſignaturis, remediis etiam, præpoſterè tamen uſurpatis, conſiſtit, adeoque ab incantatione nihil differt.

Etſi autem cultores hujus artis (ſi modò impoſturæ diaboli, artis nomen merentur) aliquid ſupra rerum naturalium poſſibilitatem moliri conentur; revera tamen à diabolo deluduntur, nec opera iſta perficiunt, quæ ſibi proponunt, quæque per ſe effecta arbitrantur.

At, inquis, annon Homerus prodidit, ſanguinem ex vulnere Ulyſſis profluentem, ſolâ incantatione ſuppreſſum fuiſſe. Ejusdem incantationis potentiam Virgilius per totam Eclogam 8.

quaſi ex propoſito defendendam ſuſcepiſſe videtur.

Carminibus Circe(inquit)*ſocios mutavit Vlyßis:*
Carmina vel cælo poſſunt deducere lunam.

Item: *Numero Deus impare gaudet.* Item libr. 2. Georg. *Miſcueruntq́ herbas, & non innoxia verba.* Hinc Ovid. *Devovet abſentes, ſimulachraq́ cerea fingit.* Suetonius etiam in vita Germanici refert, Piſonem venenis & devotionibus inſidiatum eſſe Germanico. Plin. lib. 28. c. 2. Exemplo Tuccię virginis Veſtalis, poſt recitata verba, aquam in cribro deportantis, efficaciam incantationis per verba facta agnoſcit. Huc facta ſagarum referantur, quæ conſtanter fatentur, ſe vel poſt recitata verba quædam, vel peractam inunctionem, per anguſtiſſima foramina in cellas vinarias transvolaſſe, compotaſſe vel ſaltaſſe.

Huc quoque refero nebulones iſtos, qui ſponſis virilitatem per quasdam ligularum & vinculorum conſtrictiones adimunt, & ſterile matrimonium reddunt. Herodotus enim autor eſt, Amaſim Ægyptiorum regem vinctum & impeditum fuiſſe, ne rem haberet cum Laodice uxore ſua, donec carminibus, ſolennibusque precibus ſolutus eſſet. Concubinas Theodorici regis iisdem ligamentis adverſus Hermenbergam uſas eſſe, Paulus Æmilius in vita Clotarii 2. teſtatur.

Bodinus lib. 2. Dæmon. cap. 1. ex canone 33. q. 8. Si per ſortiarias & maleficas artes, Deo permittente, diabolo præparante, concubitus non ſequitur,

quitur, ad Deum per humilem confeſſionem confugito.

Cùm Iſabella, Alphonſi 2. Arragoniæ regis filia ad maritum Johannem Galeacium Mediolanenſem eſt adducta, Ludovicus Sforcia, eâ conſpectâ, ſic exarſit, ut eam ſibi conjugem à patre dari concupiverit, atque in hunc finem magicis artibus effecit, ut Johannes Galeacius per multos menſes impos fuerit ad arcana conjugii peragenda. Guicciardinus lib. 1. Cato de re ruſticâ luxatum femur curandum docet per arundinem incantatione quæſitam. Suetonius in vita Aug. Cæſ. tradit, ipſum tali incantatione curatum fuiſſe.

Præterea in legibus 12. tabularum pœna in eos conſtituta eſt, qui fruges excantaſſent: Ergo non eſt de nihilo, quod de efficacia incantationis circumfertur. Joſephus quoque libr. 8. antiquitatum Judaicarum refert, Salomonem incantationem tenuiſſe, quâ morborum dolores leniret. Imò ipſa ſacra Scriptura Pſalmo quinquageſimooctavo teſtatur, incantationis magnam eſſe vim. Venenum, inquit, ſicut aſpidis aures obturantis, ne audiat verba incantationis, qui bene incantare poteſt. Ad majorem denique hujus rei probationem adduci poteſt textus Biblicus, Num. 22. v. 6. ubi imprecationi Bileami efficacia non derogatur.

Nos contrà aſſerimus, nullam eſſe verborum & characterum efficaciam; licet autor libelli, qui de incantatione ſub Galeni nomine prodiit, ex

ſententia Indorum Medicorum exiſtimet, incantationes ob vehementem mentis impreſſionem, quam pariunt,ſeu confidentiã(ut alii loquuntur) opera miranda perficere. Rectiùs tamen Socrates ſtatuit, incantationes eſſe verba animas rationales decipientia. Quicquid igitur Homerus, Virgilius, Plinius & alii prodiderunt, vel ſunt meræ illuſiones diaboli, qui iſtis artibus omnes mancipiorum ſuorum ſenſus quaſi conſtrictos tenet,ut inter verum & fictum diſcernere nequeant, vel rerum effecta,quæ incantatores ſibi imputant, revera vel nullo modo, vel per diabolum potiùs fallaciarum & mendaciorum magiſtrum,illis inſciis, perficiuntur,ut ſic in erroribus confirmentur,donec tandem non ſolùm ſenſum,ſed vitam quoq; ipſam illis adimat, & ad tartara præcipitet. Quis enim adeò demens eſt,qui corporum phyſicorum per loca invia vel anguſtiſſima penetrationem ſtatuere auſit?

Ulyſſis interim ſocios quod attinet, non malè nonnulli ſentire videntur, illos tædio diuturnæ peregrinationis & navigationis poſt bellum Trojanum ſusceptę, in melancholiam incidiſſe,ut putaverint, ſe vel in porcos, aſinos vel lupos transmutatos fuiſſe. Longa ſiquidem & diuturna pericula mœrorem pariunt, mœror verò & metus,ſi longo tempore perſeverent,melancholiam efficiunt,inquit Hipp.Aph.23.libr.6. Quàm firma autem & valida ſit rerũ per falſam & melancholicam imaginationem conceptarum impreſſio, id quotidiana comprobat experientia. Hinc eſt,quòd nonnulli ſe gallos eſſe exiſtimãt, alii ſe capite pri-

vatos

vatos credunt, alii alia abſurdiſſima firmiter ſibi perſuadent. Unde etiã firmiter ſtatuendum, Lycanthropiam Mœris, de qua Virg. loc. cit. nihil aliud fuiſſe, quàm meram melancholiam. Tucciæ exemplum ad diaboli præſtigias & illuſiones referimus. Sagas quod attinet, non dubitamus, iſtas uſu unguentorum extremè frigidorum, quibus tempora inungere ſolent, antequam avolare cupiunt, in graviſſimum ſoporem mentisque alienationem incidere, nec pedẽ à loco, in quo fuerunt inunctæ, dimovere, ſed corpora ſua, ut obſervatione conſtat, variè agitare; Interim diabolus ſine dubio varia ſpectra mentibus alienatis imprimit, donec calor devictâ iſtius unguenti vi narcoticâ, ſe recolligat. Adeoq; mirum non eſt, ſagas ſępè jurare, ſe hîc vel illic fuiſſe, cùm tamen ſæpè obſervatũ ſit, illas ſe ne minimè quidẽ de loco dimoviſſe.

Huc quoq; referimus nebulones, qui per ligaturas quaſdã coeundi impotentiã conciliari poſſe, temerè profitentur; dum enim abſentes, ſuperſtitioſos ſuos ritus peragunt, & neſcio quid obmurmurant, interim diabolus vel ipſe, vel per alia ſua organa, ea occultè infundit poculisq; miſcet, quæ manifeſtâ proprietate virilitatem obtundunt & enervant. Hinc nõ rarò ſuâ ſponte, devictis ſcil. illis narcoticis, per calorem naturalem, enervatam virilitatem recuperant, niſi forſan in quantitate exhibitorum narcoticorum, immoderatus exceſſus fuerit commiſſus.

Ex textu porrò Juris nihil probatur, quia in ejusmodi atrocioribus delictis, etiam voluntas pro ipſo facto meritò punitur.

Ad loca denique S. S. Theologi reſpondent, Davidem ex communi errore vulgi locutum: vel certè Deum præſtigiis & impoſturis diaboli, inter incredulos frænum quandoque laxare, ut exiſtiment, ſe incantatricibus verbis effeciſſe, quod diabolus mille artifex, Deo permittente, aliis modis effecit.

QUÆSTIO XXXII.

An perſona amata ad redamandum per philtra impelli poſſit? C. N.

QUandoquidẽ philtra cum arte magica ſæpè miſcentur, inquiramus nunc, an perſona aliqua amata per philtra impelli poſſit ad redamandum illum ipſum, à quo fuit philtrum exhibitum.

Primùm verò notandum, per philtrũ intelligi lacunam iſtam, ſeu foveam in medio menti poſitam, quæ prout magis vel minùs conſpicua eſt, ita etiam majorẽ vel minorem faciei venuſtatẽ conciliat. Hinc defluxit, quòd medicamenta, quæ ad conciliandum amorem parantur, philtra nominentur. Hæc autem ſunt in duplici differentia: Primùm enim parantur quædam philtra, & iis exhibentur, apud quos in gratia & favore homines eſſe cupiunt; Tale, autore Cuſpiniano, fuit philtrum, quod Friderico Auſtriaco Rom. Imp. à fœminâ nobili exhibitum fuit, quo impetrare tentavit, ne maritus ipſius gratiâ & favore Imperatoris excideret; quàm infeliciter autem illud Imperatori ceſſerit, funeſtus illius exitus declaravit.

Tale

Tale quid Dejanira Herculi paraſſe creditur; quod teſte Sabellio, non minùs infeliciter cecidit. Hercules ſiquidem eo è vivis fuit ſublatus. Idem Lucullo accidiſſe, Plutarchus memoriæ prodidit. A Calliſthene enim liberto poculum accepit, quod ipſum delirare tandem & contabeſcere fecit. Deinde parantur philtra communiter ſic dicta, iisque exhibentur vel adhibentur, quorum amorem & concubitum homines nefarii expetunt. Hæc quoque in duplici ſunt differentia; alia enim magica ſunt, de quibus refert Ratgebius rerum Gallicarum ſcriptor, plurima talia in ſecretis epiſcopi Cahortini, à Duraſio ſtrenuo bellatore capti, reperta fuiſſe, quibus illicitos puellarum amores ſibi comparare ſtuduerat. Alia herbarum vi & efficaciâ parari poſſe creduntur; utraque tamen non ſolùm illicita ſunt, ſed vana etiam & irrita, ſimulq; admodum periculoſa. Quòd illicita ſint, docet ſacra Scriptura, quæ vult, ut per media legitima concubitus expetatur; vana & irrita eſſe, teſtatur rerum naturalium conditio. Magica ſiquidem vel characteribus, vel ſignaturis, vel verborum murmure perficiuntur. Quorũ omnium nullam vim & efficaciam eſſe, in præcedente quæſtione fuit demonſtratum. Quæ verò non verbis, ſed herbis parantur, illa vel ex meris, iisque vehementioribus conficiuntur diureticis, ut rectè aliquando dixerit Capovaccius, miſeros iſtos homines poſt uſum talium medicamentorum in lectum potiùs mingere, quàm libidini ſatisfacere. Ex horum numero ſunt radices Satirii, Valerianæ, Cantharides, & res ſimiles;

quę non rarò calamitoſam ſanguinis excretionem moliuntur. Vel parantur ex rebus libidinem exſtimulantibus, ſuntque in duplici differentia. Alia enim ex ſua natura plurimum ſanguinis generant, ex quo ſucceſſivè ſemen laudabile conficitur; ut ſunt carnes caponum, gallinarum, perdicum, panes Martii, teſticuli aprorum, gallorum, paſſerum & cervorum. Alia ſemen jam generatum exſuscitant, & ut loquitur Hipp. turgere faciunt, ut ſunt ſemen ſileris montani, ſtaphylini, erucæ & ſimilia. Alia denique organa generationi dicata, torpida facta, erigunt & ſuffulciunt; cujusmodi ſunt omnia flatuoſa, ſemen ſcilicet raporum, piſa, & quæ ſunt hujus ſortis plura. Ex hisce igitur arte invicem confuſis, licet ad Venerē impetus excitetur, tantum tamen abeſt, ut perſonæ alicujus certæ, definitæ, & in animo determinatæ amor in hunc vel illum definitum & determinatum concitetur, ut potiùs vagus quidā & indifferens furor in quasvis perſonas excitetur. Dementis ſiquidem hominis eſt exiſtimare, medicamenta naturalia intra corpus exhibita cum diſcretione & electione agere, vel efficere ut ametur Cornelius, à quo philtrum fuit propinatum, Scipio verò repudietur, eò quòd autor philtri aliam vim, præter naturalem, medicamento infundere nequit. Facultas igitur inter hunc & illum diſcernendi vel eligendi nullis pharmacis inſtillari poteſt.

Quàm verò omnia iſta ſint periculoſa, partim ex jam dictis, partim etiam ex poëtarum monumentis eluceſcit. Juvenalis enim rectè dixit:

Hîc

Hîc Theſſala vendit
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti.

Et Ovid. lib. 2. de Art. am.

Philtra nocent animis, vimq́; furoris habent.

Quapropter ab ejusmodi illicitis & periculoſis medicamentis, quibus animi corporisq́; ſalus curæ eſt, omni ſtudio cavendum, ne quis ſibi ipſi manus quaſi violentas injiciat.

QUÆSTIO XXXIII.

An terra venena producat in hominis pernitiem? C. N.

QUoniam incantationibus & philtris ſæpè miſcentur venena, inquiramus, an terra producat venena in hominis perniciem.

Plin. lib. 2. natural. hiſt. c. 63. putat venena produci, ut vitæ tædio ſine ullo dolore & cruciatu finem facere poſſimus. Verùm hæc ſententia non ſolum impia eſt, ſed omnino etiam falſa. Impietas eſt manifeſta. Falſitas patet ex Aëtio & Ægineta, qui à Salamandra percuſſos intentè dolere afferunt, imò pleraque venena, ut ſunt Napellus, Arſenicum & ſimilia, horrendis convulſionibus, veſicæ dolore, ventris tormine, eroſione ſanguinisq́ue profuſione vitæ finem faciunt. Quod cùm cognoviſſet philoſophus cujus voluntati permittebatur, ut mortis genus eligeret, maluit venarum inciſione, quã veneni alicujus asſumptione mortem obire. Hoc ipſum ſenſerunt duo ſæviſſimi tyranni, Tiberius & Caligula, qui omni ſtudio gra-

viſſima quæque mortis genera excogitârunt,quibus homines innocentes de medio ſustulerunt; adeò ut cuidam in graviſſimis doloribus exclamanti,ut ſtatim juguletur,Tiberius reſponderit, ſe nondum ei reconciliatum,ut ſic mortem mortisq́; tormenta differret. Conſtat autem inter alia ſupplicii genera,venenis quoq; tyrannos iſtos uſos eſſe.Oroſius ſiquidē autor eſt, penes Caligulā inventam fuiſſe arcam diverſis venenis plenam, quib.in mare effuſis,ingens piſciū multitudo perierit. Exiſtimare igitur licet, terram propter aliū finem venena producere, nimirum ut vel pabulum ſint quorundam animalium,ſturni.n. cicutâ, & coturnices veratro veſcūtur:vel ut animalia noxia & inutilia venenis è medio tollantur; pediculi enim & pulices necantur argento vivo,lupi lupariâ,vulpes conſiligine, muſcæ & mures arſenico, corvi nuce vomicâ. Præterea in medicinā,præſertim ad curanda ulcera equorum aliaq; cacoëthica, nonnulla venena veniūt. At,inquis, cur Deus peculiarib. & manifeſtis notis non conſignavit venena,ut homo ab iis tutus eſſe poſſit? annon ſub dulci ſapore & grato aſpectu,laqueos & occulta vitæ noſtræ retia poſuit,à quibus tamē beſtiæ,ſolius olfactus beneficio, vel occultâ aliquâ gratiâ ſunt immunes? Statim .n. ex primo quaſi intuitu quod ſibi adverſum eſt, deprehendunt; ut melior beſtiarum quàm hominum cōditio eſſe videatur.

Reſpondetur,licet beſtiæ nos ſuperent olfactu, homo tamen à Deo ita conditus eſt,ut illuſtriori ſenſu,ratione ſcil.& intelligentiâ inter ſalubria & inſalubria diſcernere,illa proſequi,hæc declinare

poſſit.

poſſit. Beſtiarum igitur notitia carnalis eſt, hominis verò divina; ut Deus hac etiam ratione in operibus ſuis glorificetur, & ratio humana magis magisque exerceatur. Niſi enim ratio humana variis modis exerceretur, omnes artes interirent & ratio humana torpeſceret. Addo & aliam cauſam, maledictionē ſcil. poſt lapſum primorum parentum: in ſudore enim terra excolenda, ejusque fructus cum labore & induſtria in uſum colligendi.

QUÆSTIO XXXIV.

An omnia animalia venenata ſint frigidæ naturæ? C. N.

ALia circa venena quęſtio naſcitur, an omnia animalia venenata ſint frigidæ naturæ. Plin. l. 10. natur. hiſt. c. 72. ſcribit, omnia venenata animalia, ſanguine & calore deſtitui. Hoc quoq; cap. 66. ejusdem lib. exemplo Salamandræ confirmat, quam adeò frigidam eſſe tradit, ut ſuo contactu ignem extinguat. Magi quoq;, autore Plinio, tradiderunt, Salamādram omnia incendia extinguere. Idem docet Ariſt. l. 5. de Hiſt. An. c. 19. & Aëtius lib. 3. ſer. 1. c. 52. Nicander quin etiam autor eſt, veſtes ſanguine Salamandræ tinctas, comburi non poſſe. Idem docet Peucerus in lib. Divin. de ovis ſerpentum. Hinc forſan defluxit, quod Sabel. in vita Germanici inquit, cor hominis veneno necati comburi non poſſe.

Contrarium docet Dioſc. l. 2. ſimpl. c. 52. & l. 2. de venenis c. 7. item Gal. l. 3. de temperam. c. 4. nec non Orib. l. 12. collect. ubi Salamandræ tribuitur vis exulcerandi & corrodendi. Quicquid verò ex-

ulcerat & corrodit, ἐσχαρωτικὸν Græcis dicitur, vehementiſſimè urit, ut nō ſolùm externam cutem, ſed profundiores quoque partes corrodendo abſumat, adeoque Salamandra in quarto calidorum ordine conſiſtat, neceſſe eſt.

Sed Plinius ſuam ſententiam hoc argumento confirmare nititur. Quicquid fame non moritur, id nullo calore præditum eſt. Salamandra, vipera, ſerpens, ſcorpio fame non moriuntur. E. Primùm reſpondetur, asſumptionem eſſe falſam, viperæ enim à ſeplaſiariis Theriacam componentibus captæ, pane tam diu aluntur, donec juſtam quantitatem ceperint, quam compoſitio Theriacæ requirit, licet modus iſte conficiendi Theriacam à ſenatu Veneto minimè permittatur, dum enim alieno & inuſitato pabulo nutriuntur, proprias naturales vires deperdunt. Quod non rarò Bononiæ & Patavii obſervare mihi licuit. Quod verò per hyemem in latibulis ſuis absque cibo conſervantur in cauſa eſt, quia tempore autumnali, ita ſaginantur, ut per hyemem ſufficere poſſint, id quod etiam in limacibus & pluribus aliis beſtiis notatur. Huc accedit, quòd tempore hyemali horum animalium calor adeò premitur & afficitur, ut uberiore alimento minimè indigeant. Quàm etiam Plinius in eo erraverit, quòd Salamandram ſanguine deſtitui aſſerit, id ex Nicandro patet.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXIV.

An venenatum animal alio veneno nutritum exitialius evadat?

C. A.

ARiſtoteles lib.8. de Hiſt.An.cap.29. inquit, animalia venenata nocentiſſima eſſe, quæ aliis venenis nutriũtur. Huic ſententiæ adſtipulatur Cæl.Rhodig.lib.18.Antiq.lect. cap.35. viperas inquiens in Phænicia propter eſum rerum venenatarum adeò virulentas eſſe, ut ſolo etiam halitu enecent. Matthiolus quoque aſſerit, illarum viperarum venenum nocentius & exitialius reddi, quæ venenis veſcuntur. Unde patet, circulatores & circumforaneos, ſerpentes pane aliisque cibis nutritos, ſine periculo tractare & oſculari, ut homines pecuniâ emungant, pharmacis ſuis & impoſturis asſcribentes quod alimentis asſcribendum erat.

Verùm Plinius lib.27.naturalis hiſt.cap.2. contrarium docet, hominem veneno infectum liberari asſerens, ſi aliud venenum ſuperasſumpſerit. Huic ſententiæ ſubſcribere videntur, quicunque hac noſtrâ ætate nocentiſſima quæque venena, Arſenicum ſcilicet, Riſogallam, Argentum vivum, & ſimilia nodulo includunt, & contra peſtem aliorumque venenorum periculum, de collo geſtanda præcipiunt. Imò ſerpentinum pulverem, Doronicum, nucem vomicam & hujus ſortis plura intra corpus propinant, exiſtimantes, venenum veneno adverſari.

Hac in parte inter animalia naturaliter venenata,& per accidens venenata diſtinguo. Quæ naturaliter venenata ſunt, illa etiam, quò alimento magis venenato utuntur, eò etiam in naturali venenoſitate conſervantur magis & confirmantur. Similia enim ſimilibus conſervantur. Quæ verò per accidens venenum aliquod aſſumpſerunt, tantum abeſt ut aſſumptione novi veneni reſtituantur, ut potiùs in præſens vitæ periculum incurrant: niſi fortè quis puellam illam imitari velit quę paulatim venenis ita aſſuevit, ut tandem, naturâ illius in venenatam degenerante, contractoque habitu, à nullo veneno vinci vel extingui potuerit, ipsâ interim alios interficiente & necante.

Venena quod attinet, quæ hominibus peſte laborantibus & veneno infectis, de collo ſuspenduntur, reſpondetur, illa nullarum eſſe virium, ſed ſuperſtitiosè duntaxat geſtari, cùm ne ad cutem uſque transire queant, multò minùs intra corpus. Vel dicendum, ejusmodi amuleta confidentiam parere de qua ſuprà. Quæ verò intra corpus exhibentur, illa nunquam nudè, ſed mixtim cum aliis alexipharmacis exhiberi, ut dubium non ſit, quin malignitatis ſuæ vires proderent, ſi absque correctivis & veris alexipharmacis exhiberentur. De hac re vide controverſiam Medicorum Auguſtanorum aliquando circa confectionem ovi aurei, quod vocant, habitam.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXV.

An animalia veneno nutrita innoxiè à nobis edantur?

CUm conſtet, ſturnos cicutâ, coturnices veratro, cervos ſerpentibus, lucios bufonibus, anates muribus, gallinas araneis innoxiè veſci; quęri poſſet, an illa ipſa animalia citra periculum à nobis edi poſſint.

Ad hanc quæſtionem plerique reſpondent, non neceſſariò animalibus venenum eſſe, quod nobis inimicum vel venenatum. Cùm verò dubium non ſit, prædicta animalia, venena iſta vel ex abdita ventriculi proprietate alterare, concoquere & in alimentum convertere, vel ad purgationem devorare; apparere arbitror, ex uſu ejusmodi animalium nihil periculi nobis pertimeſcendum eſſe. Alimenta enim venenata ipſis vel venena non ſunt, vel ex occulta ventriculi proprietate ita alterantur, ut corporis alterantis naturam aſſumant & ſine noxa à nobis ſumi poſſint. Sin purgandi facultatem habent, non diu in animalibus iſtis morantur, ſed ſtatim ſecedunt, ut ne ſic quidem nobis incommodare poſſint. Interim tamen nolim talia animalia ſtatim poſt devorata venena mactari menſisque imponi; ſed poſt aliquod tempus, peractâ nimirum concoctione, & veneno planè evicto vel excreto.

QUÆSTIO XXXVI.

An in animalibus venenatis vermes gignantur? C. N.

SEneca l.2.quæſt.natural. cap.31.inquit,in animalibus venenatis nullos generari vermes. Hujus asſertionis ratio eſſe poteſt,quia animalia venenata vel ſunt extremè frigida & ſicca, ut ſerpentes,de quibus Virgilius:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

vel ſunt extremè calida & ſicca, ut ſunt viperæ, quarum caro non eſt ex poſtremis,quæ theriacæ compoſitionem calidam & ſiccam efficiunt.Cùm igitur utrobique ſumma ſiccitas occurrat,humiditas verò deſit, quæ teſte Ariſtotele l. 4. met. mater eſt putredinis, ex qua vermes producuntur;mirum non eſt,quòd in animalibus venenatis nulli generantur vermes.

Contrarium ſenſiſſe videtur Gentilis in 1. Tertii tract.2.cap.3.ubi refert, vermes etiã in locis ſeu partibus calidiſſimis, epate ſcilicet,generari. Sic Gabucinus de vermibus in partibus muſculoſis in ipſo etiam ſanguine generatis,in lib.de verm. retulit. Platerus quoque de vermibus ſub corde natis ex aliorum ſententia ſcripſit c.13. de excret. An.Præterea Aponenſis contra Gal.diſputat,vermes ubiq; in corpore generari. Imò Ariſtoteles lib.5.Hiſt.An. c.19. ſcribit, in fornacibus Cypri, in quibus chalcitis uritur, beſtiolas volatiles generari.Id quod Theophraſtus lib. de igne confirmat.

mat. Accedit Aëtius lib. 9. c. 39. ex ſententia Herodoti, ſcribens, in febribus ardentibus vermes generari.

Hæc controverſia ex Hipp. 4. de morb. magna ex parte componi poterit. Ibi enim Hipp. docet, vermes in inteſtinis generatos per famem in epar aſcendere, ibique incredibiles dolores excitare. Idem de vermibus ſanguinei coloris vel in partibus ſanguineis & calidis viſis, ſtatuere licet, uno ſiquidem in loco vix otioſi quieſcunt, ſed, deficiente alimento in inteſtinis, inde in alias partes repunt, ſanguineque nutriuntur, unde rufeſcere cernuntur. Quod autem Ariſtot. & Theophr. de animalculis in fornacibus generatis retulerunt, id fabuloſum eſſe vel inde apparet, quia Galen. in Cyprum ſe contulit, ut in fornacibus iſtis Myſi aliaque metalla contemplaretur, qui, ſi generatio iſtorum animalium vera eſſet, minimè illam ſilentio involviſſet. Febres ardentes quod attinet, cùm ex putredine magna ex parte oriantur, mirum non eſt, in iſtis quoque vermes generari. Vel etiam reſponderi poteſt, vermes ante febrium invaſionem generatos, à febrili verò calore ſupervenientе ita agitari, & quandoque per vomitum rejici. Quapropter ſi non certum, tamen admodum probabile eſt, vermes in ſiccis animalium venenatorum corporibus non generari.

QUÆSTIO XXXVII.

An venena ita concinnari & præparari poſſint, ut certo & definito tempore interimant? C. N.

MAgnus ille Theophraſtus lib. 9. de plant. hiſt. cap. de Aconito ſcribit, illud ita pręparari & componi poſſe, ut tempore determinato interimat. Ejusdem ſententiæ fuit Avic. Fen. 6. 4. Gellius quoque lib. 6. c. 4. ex libris Tuditani refert, Attilium Regulum à Carthaginenſibus captum & Romam ablegatum, ut captivorum Carthaginenſium permutationem à Romanis impetraret, iſtam permutationem disſuaſiſſe, eò quòd ſibi à Carthaginenſibus discedenti venenum exhibitum fuerit, à quo intra certum tempus, poſt impetratam ſcil. permutationem, ſibi nihilominus ſit moriendum.

Reſpondetur: quanquam dubium non ſit, eſſe quædam venena tam è ſimplicium, quàm compoſitorum numero, quorum alia citò, alia tardè interimant; nullum tamen eſt nec parari poteſt, quod certum & conſtitutum interimendi tempus attingere poſſit; hoc enim neque artis neque naturæ opus eſt. Actiones ſiquidem quę tempore determinato perficiuntur, à facultate aliqua intelligenti proficiſcuntur. Talis autem facultas neque rebus naturalibus neque arte paratis ineſt. Pro exemplo ſint medicamenta purgantia, quorum explorata eſt noticia; nihilominus tamen ita concinnari

cinnari nequeunt, ut determinatam aliquam operandi horam obſervẽt, propter naturarum diſſimilitudinem, corporumque diverſitatem. Alii enim homines moventur citò, alii tardè. Alii venas habent latas & amplas per quas venenum recto quaſi tramite ad cor transit. Alii venas habẽt anguſtas, venenum diutiùs remorantes. Sic cor diſſimiliter eſt temperatum, aliud citò occumbit, aliud fortiùs & diutiùs veneno reſiſtit. Hoc ipſum peſtis graſſantis tempore evidenter patet; dum alii citò, alii tardè, alii nunquam inficiuntur, ſed inter tot funera intacti conſiſtunt. Ad locum ergo ex Gellio adductum, reſpondetur, nonnullos autores de veritate hiſtoriæ illius, quæ à Tuberone aliter deſcribitur, non ſine cauſa dubitare. Ad alias autoritates reſpondetur, quandoque tempus indefinitum ſumi pro definito.

Si enim venenum aliquod vel Tragachanto vel aliis inviſcantibus involutum exhibeatur, non minùs tardè operabitur ac etiam purgantes pilulæ cuticulâ prunorum involutæ, operari ſolent. Sin cum vino aliáve re citò penetrante venenum exhibeatur, rectè dicere poſſum, illud paucarum horarum ſpatio, id eſt, brevi tempore operaturum.

QUÆSTIO XXXVIII.

An venenum artificioſè præparari poſſit, quòd ore aſſumptum interdum quieſcat, ſecundùm lunæ verò mutationem in corpus ſævire poſſit?

C. N.

NOn ſine cauſa homo homini Deus, & homo homini lupus, in communi proverbio dici ſolet. Quemadmodum enim Deus juvat, lupus verò perdit: ſic homo utrumque, juvare ſcil. vel, Deo ſic permittente, perdere poteſt. Inter alias infinitas, quas diabolus excogitavit nocendi artes, non eſt poſtrema venefica, cujus vires humano ingenio uſque adeò occultari poſſunt, ut, quicunque arti veneficæ ſtudent, lupis, quos rapaciſſimi dentes & aures produnt, longè ſint deteriores. Cùm enim tela prævisa minùs noceant, veneficia verò mirificè occultentur; fit, ut non ſolùm improvidi & infimæ ſortis homines, ſed cautiſſimi quiq; Reges ac principes diabolicæ hujus artis miniſterio frequenter è medio tollantur. Hinc Galenus non immeritò damnavit Mendeſiũ, Orpheum, Heliodorum Athenienſem, Aratum & alios, quòd artem componendi venena ſcriptis tradiderint. Sustulit hæc ipſa ars venefica (ut hoc illorum causâ interponam, qui à ſuſpectis & incognitis miniſtris minùs ſibi cavent) inter alios innumeros Carolum Calvum, Henricum Septimum, Arnoldum Bauirum, Ottonem Tertium,

Rom.

Rom. Imperatores; Franciſcum itẽ Delphinum, Catharinam Angliæ Reginam, Guntherum Comitem Schwartzenburgicum, alioſq; quàm plures præſtantiſſimos principes. Quemadmodum autem venena variis modis præparari & occultari poſſunt, ut vel citò vel tardè vires ſuas expediant, homineſq; vel ſine dolorib. vel cum maximis cruciatibus è medio tollant: ſic quæritur: An venenum arte quâdam huncin modum concinnari ac præparari poſſit, quòd non interimat, ſed per certa temporis lunæque intervalla in corpus ſæviat, pectoris anguſtiam, anxietates, articulorum dolores faciat, vireſq; ſuas non enecando, ſed affligendo per aliquot annorum ſpatia expediat.

Novi equidem nonnullos, qui pocula amatoria pręparari poſſe contendunt, ut adamata fœmina, cui poculum ſemel exhibitum eſt, non indifferenter omnes, ſed certas & deſtinatas perſonas, nõ omni tempore, ſed certis & determinatis diebus, furioſo quodam amore proſequi, & voluntati earum obtemperare cogatur. Cùm verò hoc ipſum opus longè difficilius ſit, quàm venena concinnare, quæ certis intervallis, lunæq; converſionibus in corpus humanum carnificinam exerceant, affirmativè hac in parte concludendum videtur. Atqui utrumq; hoc opus non ſolùm obſervatione incertum, ſed ab omni etiam ratione eſt alieniſſimum: venenum ſiquidem ſemel exhibitum, ſi maximè vires ſuas propter frænum injectũ ad aliquod tempus occultare poſſit, quandocunque tamen beneficio caloris noſtri, qui nunquã otiatur, ſemel ad agẽdum incitatur, quieſcere nequit,

donec vel devictum ſit, vel indeſinenter & omnino deſęvierit. Addo, venena nō per manifeſtas, ſed arcanas & inexplicabiles qualitates operari; lunã verò manifeſtis qualitatibus in corpora inferiora dominari, ut venena ſecundùm lunæ curſum nec promoveri, nec retardari poſſint. Si ſanguinem menſtruum hîc aliquis objiciat, qui ad lunæ motum commovetur, reſpondeo, ſanguinem menſtruum non eſſe venenum, ſed copioſioris ſanguinis corruptum, & vitiatum excrementum, ac proinde menſtruum aliiq́ue humores propter familiaritatem, quam habent cum luna, motum illius non ſine cauſa imitãtur. Accedit, quòd nec venena, nec venenati morbi legibus aut methodo tenentur. Hinc Galenus, cùm tractatum de peſte promitteret, naturâ verò peſtiferâ & venenosâ examinatâ animadverteret, naturam rerum venenatarum nullâ methodo, cujus Galenus ſemper fuit ſtudioſiſſimus, comprehẽdi poſſe, tractatum promiſſum imperfectum reliquit, quamvis Rhaſis exiſtimet, librum quendã à Galeno de venenis editum eſſe, ſed temporum injuriâ interiiſſe. Hinc patet, venenum nullâ arte nullisq; legibus præparari poſſe, ut per incrementum vel decrementum lunæ ad novum paroxiſmum inferendum concitetur. Huc refero, quòd venena ſunt deleteria, delent.n. ſeu enecant, quocunq; modo miſceantur, nec natura eorum permittit, ut dolores ſaltem periodicos ſine vitæ discrimine inferant, præſertim cùm tanta illius copia ſit exhibita, quæ multis annis iteratos paroxyſmos exuſcitãdo ſufficiat. Hujus ſententiæ fuit Aponenſ. l. 1. de venenis, venenorum

norum eam eſſe naturam inquiens, ut in minima etiam portione homines interimant. Deniq; operationes quæ tẽpore determinato perficiuntur, neceſſariò procedunt à facultate dijudicandi tempora, agere enim & perficere aliquid potiùs in hoc quàm in alio tẽpore, eſt opus facultatis deliberãtis & diſcurrẽtis. Atqui certiſſimũ eſt, in venenis hujusmodi facultatẽ nõ eſſe. Quapropter venena certo & determinato tẽpore nullo modo operari, multò minùs per intervalla lunæ, novos dolorum paroxyſmos excitare poſſunt. Si minorẽ aliquis impugnet per comparationẽ febrium periodicarũ, quæ periodũ ſuam tã accuratè obſervant, ut non ſolùm certis dieb. ſed certis etiã horarũ momentis recurrant, licet facultate dijudicandi tẽpora non ſint p̃ditæ; ſic dolores podagrici ſua plerunq; obſervant periodica tẽpora, licet nulla ſubſit prudentia vel facultas tẽpora dijudicandi. Quanquã verò in univerſa Medicina, meo quidẽ judicio, vix aliquid majori difficultate involutũ ſit, q̃ vera periodicarũ febrium cauſa; ad diſſolvẽdum tamẽ hunc nodum, dico nullam eſſe febrium recurrẽtium cum veneno ſemel exhibito comparationem: febres. n. recurrentes dependent ab humorib. putreſcentibus: nec unquam caloris febrilis notæ deliteſcunt, quamdiu putredo perſeverat. Quod verò ſingulis vel alternis ternisq; dieb. novi febriũ paroxyſmi recurrunt, id fit propter novas humorum corruptiones. Cùm. n. febres intermittentes ad veram infebricationem perveniant; hoc eſt, cùm in diebus intermiſſionis nulla amplius ſubſit putredo, ſed in die paroxyſmi nova fiat humorũ corruptio,

meritò in die intermiſſionis nulla febris ſigna percipiuntur, quæ alioquin, perſeverante putredine, occultari non poſſent. Venenum autem ſemel exhibitum & viſceribus inhærens, modò quieſcere, & abſque ullo malignitatis ſuæ ſigno occultari; modò recurrere & ſævire poſſe, ab omni ratione eſt alieniſſimum. Quantum ad dolores podagricos attinet, qui ſe plerunq; ad lunæ viciſſitudines accommodant, illi propter materiæ humoralis cum ipſa luna conſenſum & familiaritatem nõ ſine ratione eveniunt. At verò inter venenum aſſumptum & lunam nulla familiaritas excogitari poteſt. Indecorum igitur & philoſopho indignum eſſe arbitror, in morborum inveſtigatione ad cauſas occultas, quod vulgus hominum facere conſuevit, & veneni ſuſpicionem confugere, cujus tamen ne minima quidem probabilitatis ſpecies in medium afferri poteſt, cùm è contrario manifeſta, certa & infallibilia naturalium cauſarum indicia ſeſe prodant; quando non oſcitanter, ſed accuratè morborum cauſæ inveſtigantur.

QUÆSTIO XXXIX.

An medicamentorum alia cephalica, alia epatica, alia ſplenetica, &c. rectè nominentur? C. A.

ABſurdum & ridiculum quibusdam videtur, quando medicamentorum alia capiti, alia pulmoni, hepati, ſpleni, vel renibus, aliiſque viſceribus

ſceribus peculiariter & determinatè prodeſſe dicuntur. Cur enim, inquiunt, majorana capiti, hyſſopus pulmoni, eupatorium hepati, ariſtolochia utero, petroſelinum verò renibus peculiariter conferret; cùm omnia pariter calida ſint & ſicca, ac proinde ejusdem naturæ ac facultatis? An præſes aliquis eupatorio imperat, ut rectà ad epar pergat, majoranæ ut ad caput transvolvet, ariſtolochiæ autem, ut ad uterum proficiſcatur? Licet autem ſpecioſum ſit quod infertur, ex antiquioribus etiam Medicis Theſſalum fautorem habeat: Galenus tamen non ſolùm libr.5. de ſimpl. medic. facult. cap.13. Theſſalum refutat, ſed etiam lib.1. de compoſ. med. c.1. integri cujusdam commentarii mentionem facit, in quo veterum Medicorum ſententiam, de proprietate medicamentorum peculiari naturâ certas corporis partes reſpicientiũ, multis rationibus munitam & comprobatam eſſe aſſerit: qui commentarius tamen in magno illo incendio Romæ ad viam ſacrã excitato, unà cum templo pacis conflagravit. Inter alia verò argumenta, quibus contra Theſſalum alioſque ipſius diſcipulos uti poſſumus, illud non eſt poſtremum, quòd nimirum uſu & experientiâ edocemur, eupatorium, cichorium, & ſimilia hepati obſtructo majorem utilitatem afferre, quàm renibus aut veſicæ: contrà verò ſaxifragiam, apium & petroſelinũ magis renes & veſicam, quàm hepar reſpicere. Deinde conſtat, & luce meridianâ clarius eſt, multa eſſe medicamenta, quæ certis & determinatis partibus indefinitâ proprietate vim inferunt, & pernicioſa exiſtunt, quemadmodum cantharides

ſolam veſicam, lepus marinus ſolum pulmonem exulcerat, illæſis omnibus aliis viſceribus. Ergo à contrario ſenſu firmiſſimè infertur, eſſe etiam multa medicamenta, quæ certis & determinatis partibus proſunt, opemq; ferunt. Quòd ſi in his caſibus ad manifeſtas & evidentes rerum qualitates confugeremus; certè neceſſarium erat, cantharides & leporem marinum majorem exulcerationem in ventriculo moliri, utpote in quo majorem moram trahunt. Sunt enim medicamenta longè efficaciora in iis partibus, ubi diutiùs morantur, niſi occulta medicamenti vis impediat. Sic apium renibus prodeſt, capiti verò noxium eſt: polypodium ſpleni conducit, ventriculo adverſatur: terebinthina renibus fert opem, capiti gravis exiſtit: filix ſpleni auxiliatur, ſed utero nocet: Meu urinam promovet, & capitis dolores infert; laurus nervis prodeſt, ſed conceptum enecat: menta ventriculo prodeſt, ſterilitatem tamen infert: camphora capiti amica, utero inimica: Nymphea, ſalix, ruta, lactuca ſuas habent vires, ſed omnia venerem exſtinguunt. Quapropter qui præter manifeſtas rerum naturalium qualitates nihil ampliùs conſiderant, in magno mihi errore verſari videntur. Hinc etiam patet, quàm periculoſum ſit, ex libris de virtutibus herbarum vulgò editis curationem inſtituere. Nihil enim in libris ejusmodi reperitur, quod non magnopere commendetur. Cùm verò occultæ rerum proprietates, quæ non niſi magnum requirunt judicium, alto ſilentio præter-

prætermittantur, fieri nequit, quin graviſſimi errores committantur. Rectè igitur Galenus comment.3. in 1. Epidem.text.1.in Medico requirit, ut non ſolùm communem rerum naturam ex diverſarum qualitatum viribus dependentem, ſed ſingularum etiam occultas proprietates cognoſcat. Minimè ſiquidem ſcire ſufficit, cholericos à naturâ calidos eſſe & ſiccos; phlegmaticos, humidos & frigidos. Plurimos enim cholericos reperies, quorum ampliſſimæ venæ copioſiore ſanguine turgent, quàm in ipſis ſanguineis. Plures item cholericos, quàm phlegmaticos catarrhis obnoxios notabis. Quapropter rectè Galenus conſulit, ut uno oculo communem, altero verò propriam & occultam hominum naturam reſpiciamus. Pari pacto ſimplicia medicamenta præter communem, & ſenſibus noſtris obviam vim & facultatem, etiam peculiari, occultâ & abstrusâ proprietate ſimul vigent, quam ipſe Deus nos potiùs admirari, quàm cur ſic operentur, ſcire voluit. Denique qui purgantium medicamentorum naturam & proprietatem diligenter obſervârunt, ii cum Galeno capite ultimo de atra bile, & capite 25. libro 3. de ſimplic. medicament. facultat. omnes fatentur, purgantia medicamenta non indifferenter quosvis humores, ſed determinatè & electivè eos ſaltē evacuare, ad quos extirpandos nata ſunt. Hinc Rhabarbarum ſolam reſpicit bilem; Elleborum melancholiā, Agaricus pituitā. Addo, quod admiratione dignum eſt, ſcammonium,

turpetum, & ſimilia, licet fortiter operentur, hydropicis tamen exhibita, in quibus aquoſi humores exſuperant, nihil vel parũ expurgant, eò quòd humorem ſibi deſtinatum vix reperiunt. Si igitur ea eſt purgantium medicamentorum natura; quid obſtat, quò minùs alia ſimplicia magis caput quàm pectus, alia magis hepar quàm uterum reſpiciant? Hac tamen in parte non omnibus, præſertim rerum naturalium imperitis, fides adhibenda, qui omnia indifferenter occultis proprietatibus ad varios humani corporis morbos valere clamitant; cùm interim manifeſtâ & evidenti ratione illos ipſos morbos augent & exaſperant. Hujus rei notabile mihi nunc ſuccurrit exemplũ, quod Crucinaci nuper accidit, ubi chirurgus cuidam ex colica laboranti perſuaſerat, ad colicos dolores tollendos atramento ſutorio nihil eſſe præſtantius. Cúmque æger iſtius rei rationem exquireret, reſpondit ille, non poſſe omnium rerum rationem reddi. Sic miſer perſuaſus, atramentum ſutorium exhauſit, unde dolores uſque adeò exaſperati fuerunt, ut agnati imperitum illum chirurgum in jus vocarent. Quamvis igitur occultas rerum proprietates, ſympathiã & antipathiam, minimè conſtituimus hominum imperitorum aſylum: quicunque tamen doctrinam de occultis proprietatibus à veteribus traditam, & ab omnib. ſanioribus Medicis receptam, nec non uſu & experientiâ comprobatam impugnant, eos, niſi manifeſtam rationem in contrariam partem adducere poſſint, non immeritò rerum naturalium imperitos eſſe cenſemus.

QUÆ-

QUÆSTIO XL.

An medicamenta electivè purgantia, in ventriculo digerantur & concoquantur? C. N.

SI quid eſt difficile & intricatum in tota Medicina, illud purgantia medicamenta facilè dixerim, quippe quorum natura & proprietas uſque adeò cognitu difficilis eſt & perplexa, ut ingenia humana variè exagitet, perfecta tamen & abſoluta omnium proprietatum notitia inveniri & excogitari vix poſſit. Summo itaque periculo non caret, quòd imperitiſſimo cuiq; medicamenta purgantia præparare & exhibere, impunè licet. Inta-ctis autem aliis difficultatibus inquiramus, An medicamenta electivè purgantia in ventriculo alterentur & concoquantur? Ex una quidem parte varia adduci poſſunt, quæ ſententiã affirmativam tueri videntur. Primùm enim omnium Medicorum judicio, Hermodactyli ex remotiſſimis humani corporis partibus humores educunt: Elaterium aquoſos in ipſo corporis habitu diffuſos, & pilulæ, capitis excrementa feliciſſimè expurgant, quæ certè operationes impoſſibiles eſſent, niſi medicamenta in ventriculo priùs concoquerentur, & per venas ad partes excrementitiis humoribus obſeſſas pervenirent: nemo enim cruda illa, & illaborata per venas discurrere affirmabit. Deindè Hippoc. lib. 6. Epid. ſect. 5. text. 34. inquit: Si capra elaterio veſcatur, lac purgãdi vim acquirere; unde

neceſſariò infertur; medicamentum in ventriculo concoqui,& in ſanguinem converti. Et Galen.in comment.hujus loci inquit, Athenis quosdam ex largiore eſu coturnicum elleboro veſcentium in convulſiones incidiſſe. Quinimò omnium Medicorum ſententia, puerulis morbo comitiali correptis, nutricibus eorum medicamenta purgantia propinantur, ut lac maternũ vel nutricis vim purgandi inde acquirat. Accedit autoritas Fuchſii, qui lib.2.ſect.5.c.17.ſectionem venę purgantibus medicamentis neceſſariò præmittendam eſſe contendit, ut nimirum imminuto ſanguine, medicamentum purgans, venas inanitas inveniens, liberiùs transire, & humores per lata vaſorum ſpatia felicius expurgare poſſit: ſin præpoſtero ordine agatur, medicamentum purgans propter plenitudinẽ & anguſtiam vaſorũ in totum corpus deferri non poſſe, ſed absque digna operatione in primis viis ſubſiſtere. At verò huic ſententiæ refragatur Actuarius lib.3.cap.7. Medicamenta electivè purgantia ad deleteria & venenata referens, quæ cùm in ventriculo nunquã concoquantur, aut in ſanguinem mutentur; ſequetur, nec ipſa purgantia in ventriculo concoqui, ventriculus enim ea ſolummodò amplectitur & concoquit, quæ ſibi grata ſunt & familiaria, ingrata autẽ & adverſa reſpuit,& ſi expellere nequit, intacta ſaltẽ relinquit. Deinde obſervatum ſępè fuit, pilulas deauratas eo numero & formâ ut deglutitæ erant, vomitione rejectas fuiſſe, ſubſequente nihilominus juſtâ pilularum operatione. Hinc manifeſtè apparet, purgantia in ventriculo minimè ſubigi vel concoqui.

Ad ra-

Ad rationes in contrarium adductas ex Gal. lib. 2. de Element. cap. ult. & lib. de ſem. c. 16. Item Æginetalib. 7. cap. 4. reſponderi poteſt, Purgantium medicamentorum operationem magnetis operationi aſſimilari. Quemadmodum igitur magnes trahit ferrum, licet ipſum ferrum corporaliter minimè attingat. Sed vires ſuas ſaltem eò transmittat: Sic etiam medicamenta electivè purgantia, quæ cùm corpori adverſa ſint, corporaliter quidem ad humores redundantes non perveniunt, familiaritate tamen & inſitâ proprietate eos alliciunt. Quapropter quod Hermodactylos, elaterium, & ſimilia fortiſſima pharmaca attinet, ſuâ quidem ſubſtantiâ ad remotiſſima loca non perveniunt, vires autem cùm fortiſſimæ & efficaciſſimæ ſint, procul deferri poſſunt. Sic etiam pilulæ caput purgare dicuntur, non quòd ſubſtantia illarum in caput efferatur, ſed quòd moram longiorem in ventriculo ducendo, & in caput effumando, vires ſuas feliciùs expediant. Hinc nonnulli, quamvis malè, pilulas poſt cœnam deglutiendas eſſe conſulunt, ut vapores & vires pilularum cum vaporibus alimenti commodiùs ſurſum ferantur. Ad animalia, quorum lac purgandi vires habet, reſpondetur, Elleborum, Tithymalum, Ebulum, & ſimilia purgantia beſtiis non eſſe medicamenta ſed alimenta, ut mirum non ſit, quòd in ventriculo eorum digeruntur & concoquuntur; lac verò animalium iſtorum nobis alimentum eſſe deſinit, & medicamentum eſſe incipit, quamdiu purgantibus veſcuntur.

Nutrices quod attinet, quarum lac ab aſſumptione pharmacorum purgantium puerulis purgatio ſit, reſpondetur, propterea non ſequi, ipſa medicamenta in ventriculo nutricum concoqui, & concocta ad mamillas deferri, ſed potiùs medicamenta vires ſuas ſanguini imprimere, cujus ſi pueruli tempeſtivè participes fiunt, ſanguine ſcil. in lac converſo, purgari conſueverunt. Reſtat ut Fuchſius rectè intelligatur, qui, ſi de medicamentis laxantibus & emollientibus locutus eſt, rectè ſenſit, conſtat enim, laxantia & emollientia naturę noſtræ non eſſe contraria & adverſa, ac proinde alterari in ventriculo. Sin de electivè purgantibus locutus eſt, non ſubſtantiam, ſed facultatem eorum tranſire intelligit.

QUÆSTIO XLI.

An diverſarum operationum medicamenta invicem permiſcenda, vel cum alimentis aſſumenda? C. N.

INanis quædam perſuaſio multorum occupavit animos, qui exiſtimant, non eſſe utendum medicamentis compoſitis, quia Deus Optimus Maximus ſummus Medicinæ parens ſimplicia duntaxat medicamenta ad uſum humanum neceſſaria creavit. At verò omiſſis omnibus aliis, vel ſolæ aquæ minerales abundè teſtantur, Deum etiam compoſitas miroque artificio commixtas medicinas creaſſe, utpote quæ ex alumine, ſulphure, nitro, ſale, bitumine, multisq; aliis invicem commixtis

mixtis conſtant. Minimè etiã ſequitur, ſimplicia tantùm medicamenta uſurpanda eſſe, ſi nulla compoſita creata forent. Deus enim omnis generis animalia ad victũ & ſustentationẽ noſtram neceſſaria creavit: nec tamen propterea piſces & ſimilia alia ſine præparatione & cõmixtione comedenda ſunt. Etſi verò compoſita medicamenta non minùs quàm ipſa ſimplicia ad quotidianum uſum neceſſariò requiruntur; in componendis tamen medicamentis graviſſimos ſæpè errores committi, nulli dubium eſt. Inter alios autem errores enormis & planè periculoſus eſt, quando vel ex oſtentatione, vel ex ignorantiâ diverſarum operationum medicamenta miſcentur & confunduntur. Exempli gratiâ, quando medicamenta ſudorifera, vel calculum pellentia, vel menſtrua, aut urinam promoventia cum purgantibus miſcentur. Hunc errorem acriter reprehendit Valleriola enarratione 9. lib. 6. At, inquis, multos nec indoctos videas Medicos, quibus familiare eſt & uſitatũ, medicamenta urinam promoventia cum purgantib. permiſcere. Reſpondeo, non exemplis, ſed regulis judicandum eſſe. Cùm igitur regula ſit poſita, diverſarum operationum medicinas invicem confundendas non eſſe, corruit, quidquid de quorundam malâ conſuetudine infertur. Addo quòd ex antiquioribus clariſſimis Medicis nemo imperitam ejusmodi confuſionem tradidit. Oribaſius, Actuarius, Trallianus, Aretęus, Paulus, Aëtius, multique alii varias memoriæ prodiderunt medicamentorum urinam propellentium formulas, nuſquam tamen purgantia cum diureticis

confuſa, monumentis ſuis poſteritati reliquerunt: Si mihi Aëtium objicias, qui ſemel ex Oribaſii ſententia Rhabarbarum diureticis admiſcet: Reſpondeo, Oribaſium per Rhabarbarum non intelligere radicem illam purgantem, ſed potiùs centaureum magnum: ac proinde neq; Aëtiũ de purgante pharmaco locutum eſſe, prǫſumendum. Inſtas, nullum fermè purgans medicamentũ absq; ſemine aniſi, fœniculi, aliorũq; diureticorũ componi. Reſpondeo, ſi diuretica in ea aſſumuntur doſi, quæ ad corrigendam flatulentã quorundam purgantium naturam ſufficit, minimè improbantur: quotiescunq; verò, vel in majore doſi, vel extra hanc flatuum neceſſitatem adduntur, infelix ſemper eſt operatio, magnaq; ureterum & inteſtinorum tormina ſequuntur. Rejectâ verò aliorum Medicorum auctoritate, cui citra rationem nemo aſſentiri tenetur, ipſas conſideremus rationes, quæ dextrum Medici crus, ut Galenus inquit, conſtituunt. Manifeſta ratio eſt, medicamẽta purgantia non niſi magno cum periculo diureticis commiſceri, eò quòd diuretica materiam peccantem vi purgantis medicamẽti impetuosè agitatã & commotam facili negotio ad renes, ureteres & veſicam prǫcipitant: unde obſtructiones & calculi neceſſariò generantur vel augentur. Cùm ergo diverſa ſit operatio purgantium & diureticorum, nec unius operatio ſine alterius impedimento vel periculo fieri poſſit; temerè non erunt confundenda. Idem judicium ſit de purgantibus & ſudorem provocantibus, quæ non niſi præſentiſſimo cum periculo invicem miſcentur. Cùm enim purgantia

con-

contrarium planè motum à ſudoriferis moliantur,& à partibus exterioribus ad interiora loca expulſionem promoveant, contrà verò ſudorifera ab interioribus ad exteriores partes cutaneas propellant; certum eſt,non ſolùm naturam contrario iſto motu vehementer lædi, ſed infelices etiam venarum obſtructiones ſubſequi. Huc refero Gal. qui in lib. Quos purg. oportet, præclaram ponit cautionem, diligenter nimirum eſſe proſpiciendum,ut in ordinandis medicamentis purgantibus ea invicem commiſceamus, quæ conſentiunt & pariter operantur. Si enim unum citò, alterum tardè alvum movet, naturam multùm affici & moleſtari. Quòd ſi igitur Galenus inæqualem medicamentorum purgantium operationem accuratè & ſolicitè fugiendam præcipit; quantò magis diverſiſſimarum operationum medicinas invicem confuſas improbat? Cæterùm in hunc eundem errorem incidunt, qui vina purgantia, vel calculum pellentia, vel ſudorem provocantia, cum cibo potúve permiſcent. Neceſſe ſiquidem eſt,vel cibum minùs nutrire, vel nondum ſatis elaboratum,vi medicamenti trahentis ad generandas multiplices venarum obſtructiones attrahi. Novi magni nominis virum, qui ex familiari & frequenti cujuſdam pulveris, calculum comminuentis, inter prandendum uſu, renes totius corporis quaſi cloacã reddiderat. Natura enim edocta,uſuq; medicamenti incitata,omnes ſuperfluitates ad renes tanquam ad communem cloacam depellebat,adeò ut materia ad regeneratione͂ lapillorum nunquã deeſſet. Verùm hîc objiciat aliquis,

vinum licet diureticum ſit, multa etiã vini genera calculum ſuâ naturâ expellant, innoxiè tamen cum cibis permiſceri. Reſpondeo, vinum propter quotidianum uſum nõ habere vim medicamenti, ſed alimenti; quamvis impuris exiſtentibus corporibus, obſtructionibus gignendis magnam occaſionem præbet. Idem judicandum de fontibus acidis, qui licet calculum cõminuant & expellant, in iis tamen, qui acidulis pro potu ordinario utuntur, multò remiſſiùs operantur, nec vim medicamenti retinent, ſed vim alimenti acquirunt. Iterum objiciat aliquis, Hippocratem 6. Epid. ſect. 5. text. 29. purgantia medicamenta cum alimentis miſcere, quando inquit, Si Elleborum celeriter operari velis, cibum ſumito vel lavato. Ad hanc objectionem reſpondet Gal. in comment. Hippocratem non reſpexiſſe ad ipſum purgationis actum, ſed ad præparationem corporis. Cùm enim Hippocrates videret, ſicca corpora difficulter purgari Elleboro; conſuluit, ut priùs convenienti cibo vel lavacro humectarentur; quò deinde Ellebori operationem faciliùs ſustinerent, nec in lethales convulſiones ob medicamenti ſiccitatem inciderent. Ipſe etiã Hipp. Aph. 13. ſect. 4. expreſsè ponit vocem *Ante*, inquiens: Ante Ellebori uſum cibo vel potu humectandum eſſe. Deniq; ex Aëtio infertur, ſermo. 3. libr. 1. cap. 37. purgantia cum cibo ſumpta optima eſſe. Reſpondeo, Aëtium toto iſto contextu tantummodò de laxantibus & emollientibus, minimè verò de pharmacis electivè purgantibus agere: id quod ex ſubſequentibus capitulis evidenter apparet. Certum igitur eſt,
eos

eos in gravi errore verſari, non ſolùm qui diverſarum operationum medicamenta invicem permiſcent, ſed etiam qui medicamenta cum alimentis confundunt; quod Galenus comment. 4. de vict. acut. text. 44. nec non comment. 2. text. 12. multis adductis rationibus evidenter demonſtrat.

QUÆSTIO XLII.

An febricitanti aqua frigida ſit exhibenda? C. A.

IN febrium curationibus aquæ frigidæ uſum uſque adeò formidant nonnulli, ut aſpectum etiam illius & tranſitum ſuper aquas, & navigationes execrentur; cùm tamen Galenus & illius ævi Medici non ſolùm aquam exhibuerint bibendam, ſed circa lectulos quoq; ægrorum vaſa aquâ frigidâ plena repoſuerint: & quod mireris, febricitantes in balneum aquæ frigidæ ablegaverint, ut eſt videre apud Gal. lib. 10. meth. cap. 10. Inquiramus igitur, quid hac in re ſentiendum ſit & imitandum.

Hippocrates lib. de vict. ac. text. 40. inquit, Aquam frigidam neque morbis acutis, neq; bilioſis convenire, neque urinam, neque alvum movere. Jam verò evidentiſſimum eſt, febres eſſe morbos acutos, in quibus cumprimis & alvum & urinam provocare oportet. Ergo aquæ frigidæ potus in febribus eſt inutilis.

Autor quoque Commentarii in libr. Hipp.

Quæ in medicina fiunt, text. 32. aquæ frigidæ uſum tam intrinſecus, quàm extrinſecus adminiſtratum improbat. Accedit quod Cornelius Celſus libro 1. capite 3. & libro 3. capite 6. aquam in febribus exhibere, periculoſum eſſe docet. Hanc ſententiam ex recentioribus approbant Landulphus, qui in febre tertianâ, vinum potiùs aquâ dilutum, vel aquam hordei, quàm aquam ſimplicem exhibere mavult. Item Aſtiarius, qui in febre ardentiſſimâ, cauſo, aquam hordei, vel vinum aquoſum propinat. Sic etiam Stegius libro ſecundo practic. capite 6. poſtquam tacitè Galenum & Curtium tanquam nimis faciles in exhibenda aqua reprehendiſſet, aquam coctam ſubſtituit. Præterea Piſo capite 4. cur. febr. oſtensâ periculi magnitudine in exhibitione aquæ, in eandem transit ſententiam, aquam coctam crudæ & gelidæ præferendam eſſe. Hanc quoque ſententiam amplectitur Savonarola, Gentilis Fuligin. Fontanonus & alii. In memoriam etiam hoc loco revocemus Valerium Cordum Heſſum, juvenem (ut Noribergenſium Medicorum verbis utar) doctiſſimum, qui Romæ febricitans, aquæ potu præmaturè extinctus fuit. Idem Antonio Parmenſi accidiſſe teſtatum reliquit Benivenius cap. decimoſexto l. de abdit. rerum cauſis. Denique huc referamus Illuſtrem & Generoſiſſimum Comitem Fridericum de Hohenloe, qui cùm in armis continuò ſe exercuiſſet, & Lochenam ab obſidione liberaſſet: tandem apud Illuſtrem Comitem Johannem

hannem Principis Auraici fratrem, febre correptus decubuit, & aquæ frigidæ potu in convulſiones omni periculo plenas, ut refert Foreſtus obſ. 13. incidit.

Sed ab hac ſententia recedit Galenus comment. 1. de vict. acut. text. 43. & comment. 3. ejusdem libri text. 40. nec non libro decimo meth. cap. 10. ubi aquæ frigidæ in febribus uſum plurimùm commendat. Maximè verò notabilis eſt locus, qui extat comment. 4. de vict. ac. text. 12. ubi inquit Galenus, aquæ frigidæ potu, omnes febre ardente laborantes ſanavimus, nullo moriente ex his, quibus frigidam propinavimus, quorum tamen tam multi fuerunt, ut numerare eos non poſſim. Hanc Galeni ſententiam ſequuntur Gordonius capite quarto de feb. & part. 3. de Regim. ac. Curtius de febre ardente. Rondeletius in meth. cur. feb. Synoch. Rhaſis quoque, ut notavit Savon. aquæ frigidæ uſum minimè procraſtinandum eſſe monet, licet enim criſis inde tardetur, mortis tamen periculum averti poſſe exiſtimat. Neque ſilentio prætermittendum, quod Eraſtus in explicat. quæſt. 2. de purgat. medicam. ſcriptum reliquit, in Italia quotidie æſtatis tempore ardentibus febribus laborantes, ex liberaliſſimo aquæ frigidæ potu à febre liberari. Hoc, inquit, non ſolùm vidi, ſed autor nonnullis fui, ut ita facerent, & recordor omnibus, quos bibere juſſi, vel vomitum, vel ſudorem copioſum, vel aliãquamcunq; evacuationem ſalutarem ſucceſſiſſe, ſi modò tantum bibant,

ut oneri & moleſtiæ eſſe queat. Huc pertinet caſus Cyrini procuratoris regis Luſitaniæ, cui cùm Amatus Luſitanus, ut eſt in cent.1. cur.3. ardente febri decumbenti, aquam gelidam propinaſſet, & æger à potu bilem pallidam vomuiſſet, ſanitatem, Amatus verò 300 aureos pro munere reportavit. Evidentem hanc graviſſimorum Medicorum diſcrepantiam & difficultatem auget Galeni inconſtantia & multiplex contradictio. Nam commen.3. de vict. ac. text.40. inquit, Aqua tardè transit, neque urinas movet, neque tranſpirationes per corpus efficit, neque ſitim ſedat, neque humectat. Jam verò in febrium acutarum curationibus ea omnino requiruntur medicamenta, quæ diu non ſubſiſtant, ſed citò transeant, urinam moveant, & corpus perſpirabile reddant, quæque ſitim humectando & refrigerando tollant. Sequitur ergo, aquam frigidam in febrium acutarum curatione locum non habere. Contrarium docet Galenus libr. 1. ſimp. capite 7. & comment.1. de vict.ac. text.43. ubi aſſerit, aquam ſitim ſedare & humectare, & in libr. de ptiſana cap. 2. aquam celerrimè transire docet.

Præterea idem Galenus in locis cit. aquam non niſi in morborum acutorum declinatione, apparentibus jam ſignis concoctionis, in bene carnoſis corporibus exhibendam eſſe conſulit. Et tamen lib.10.meth. capite 5. binos aquæ frigidæ cyathos in principio febris, etiam juveni macilento exhibuit.

In tanta

In tanta ergo rerum confuſione,& apparentibus contradictionibus difficillimum erit ſeſe extricare.

Primùm tamen exiſtimo,graviſſimos iſtos ſcriptores inter ſe conciliari poſſe, ſi diſtinguatur inter tempeſtivam & intempeſtivam aquæ frigidæ exhibitionem. Intempeſtiva eſt,quando morbus adhuc crudus exiſtit,vel inflammatio aliqua interim alicujus viſceris præſens eſt,vel obſtructio vel inſuetudo, vel virtus invalida : vel quando æger macilentus eſt & humoribus viſcoſis oneratus, morbus verò in principio augmento vel ſtatu conſiſtit. Tempeſtiva eſt aquæ frigidæ exhibitio, quando aliqua concoctionis indicia in ægro apparent,quando æger carnoſus eſt,vel aquæ frigidę aſſuetus, quantumque integrâ ſpiratione poteſt, intrepidè ebibit.

Verùm cùm conditiones iſtæ,quas Galenus ad tempeſtivam aquę exhibitionem hinc inde requirit,vix unquam omnes innoteſcant, ut ipſemet fatetur Gal.com.3.de vict.ac.tex.40.ſequitur,fortuitum eſſe & incertum aquę exhibitæ ſucceſſum. Ideò Hippocrates, Celſus,& quicunque Hippocratem ſequuntur,ab aquæ potu abſtinere,quàm cum Galeno & aliis, qui felicem aquæ effectum viderunt, exhibere malunt. Dubium ſiquidem non eſt,niſi notabilis aliqua evacuatio per vomitum,ſudorem vel alvum ſuccedat,ægrum potiùs debilitari quàm juvari. Cùm verò in ardentibus iſtis febribus, non ſolùm cor, primarium febris ſubjectum,ſed epar etiam calore & ſiccitate findatur & disrumpatur vel planè inareſcat, ut te-

ſtantur exempla ab Hollerio, Camerario, Heſſo & aliorum obſervationibus nobis tradita, ideò non ſolùm in declinatione, ſed reliquis etiam morbi temporibus obſervatis, quantum humanâ induſtriâ & ſagacitate fieri poteſt ſuprà poſitis conditionibus, aquam frigidam ad ſatietatem & nauſeam uſque exhibendam puto. Quòd ſi notabilis evacuatio haud ſequatur, tum per alia pharmaca aut injectiones, vomitus vel alvus ad egerendum extimuletur.

Contradictiones Galeni quod attinet, utrumque verum eſſe poteſt, aquam tardè trãſire, quando videl. obſtructiones adſunt vel craſſi humores, tranſitum aquæ impedientes: & celerrimè tranſire in corporibus ſcil. aquę asſuetis & ab omni obſtructione vacuis. Sic etiam aqua ſitim movet, bibendiq; deſiderium auget, ſi nimirum præparcè bibatur. Humectat autem ſitimq; extinguit, ſi abundanter bibatur. Quod denique aquam modò in declinatione, modò in principio morbi exhibet, reſpondendum, illud fieri ſecundùm leges methodi, hoc verò extraordinariè in hydropotis, robuſtis, juvenibus, & benè carnoſis: Non quidem quòd carnoſitas, aquæ gelidæ vim in tranſitu quodammodo frangat, quod nonnullos ſentire video, cùm potus ad partes carnoſas tam in macilentis quàm carnoſis minimè perveniat, ſed quòd hydropotæ & robuſti minùs offendantur.

Si igitur ad perferendam aquæ frigidæ vehementiam corporis robur requiritur; quantum roboris ad ſuſtinenda vitriolata & ſulphurea chymicorum remedia requiri cenſebimus? Omnia

enim

enim ex ipſorummet chymicorum confeſſione vehemēter operantur. Si dixerint, vehementiam illorum per admixtionem aliorum mitiorū pharmacorum retundi & imminui, rectè illos ſentire arbitror; ſed vana tunc ipſorū gloria, quaſi maximarum virium pharmaca præparent & exhibeāt. Si enim merè chymica e.g. ſpiritum vitrioli trium vel quatuor guttarum doſi exhibent, in lingua & faucibus potiùs moleſtandis hærebunt, quàm quòd ad lienes vel renes aliasque partes remotiores transibunt: Quòd ſi doſin adauxerint, ut ad partes remotiores transire poſſit, vim corroſivam aliaque pericula ſimul augebunt: Sin cum mitioribus & cum Galenicis pharmacis ſua illa miſcent, quemadmodum communiter ſpir. vitrioli cum aqua malvæ vel chamæmeli contemperatur, ut ad loca remotiora ſine noxa transire poſſit; cur gloriantur, ſe maximarum virium remedia exhibere, cùm repreſſione & mitigatione iſta enerventur & contemperentur? Cur Galenica omnia illis ſordent, cùm dogmaticis verus chymicorum medicamentorum uſus minimè diſpliceat? Sed hisce omiſſis, contra deciſionem quæſtionis motæ inſurgere video Hippocratem Aph.51. lib.2. qui ſic habet: plurimum & repentè corpus evacuare, vel replere, calefacere vel refrigerare, aut quovis modo corpus movere, eſt periculoſum, quod verò paulatim fit, eſt tutum. Idem docet lib.2. de vict. ac. tex. 18. ubi eos Medicos reprehēdit, qui ægros inediâ conficiunt, & deinde cibum derepentè & affatim offerunt. Exemplum quoque Eunuchi, quod extat apud eundem lib. 7. Epid. tex. 109.

ſatis docet, quantum malorum ex repentinis ejusmodi alterationibus emergat. Cùm enim Eunuchus ille ex venatore factus eſſet piſcator,& in venationibus corpus plurimùm agitaſſet & calefeciſſet,poſteà verò refrigeraſſet in aquis,in periculoſum incidit morbū, quo intra dies ſeptem fuit abreptus & extinctus. Plura exempla quotidiè occurrunt: Quicunque enim in obſcuro & tenebricoſo carcere diu fuerunt detenti,ſi repentè in aërem lucidum transferantur, utplurimum occæcantur. Sic quicunque manus nive vel gelu rigentes in aquam calidam ſtatim mergunt,ingentes dolores percipiunt,qui verò membra frigore ſtupefacta in aquam frigidam immittunt,meliùs habent. Ziglerus autor eſt, Lappones & Finnos ſeptentrionales populos in Scondia,aëris frigidiſſimi libertate non ſolùm delectari,ſed in tantum etiam juvari,ut quandocunque negotiorum causâ in Sueciam veniunt & domos intrant,in graviſſima vitæ pericula incidant. Quicunque deniq; in diuturna aliqua obſidione aliisque neceſſitatibus coacti famem diu ſustinuerunt,ſi cibum poſteà derepētè ingerant,ad unum ferè omnes moriuntur; quod fames Sauſerrana in Galliis,& Harlemenſis in Belgio teſtatum fecerunt.

Quemadmodum igitur mala conſuetudo non repentè ſed paulatim ex ſecunda cit.aph.propoſitione,immutanda,ita quoque exceſſivus corporis calor non repentinâ aquæ gelidæ potatione, ſed paulatim & ſucceſſivâ alteratione corrigendus videt. Nos Hippocrati, & quicunq; citatū 51.aphoriſmum rigidè abſq; limitatione amplectuntur,

brevi-

breviter ex alio Hippocratis textu, aphoriſmo ſcil.6.lib.1. reſpondemus, extremis morbis extrema remedia adhibenda eſſe; mitiora ſiquidem in morbis acutis uſurpare, nihil aliud eſt, quàm tempus & occaſionem rei benè gerendæ perdere, ut docet Gal.lib.5. meth. Quicunque igitur obſervatis ſupradictis circumſtantiis, in morbis acutis, urgente neceſſitate, ad aquæ frigidæ potationem aliorumq; extremorum remediorum uſum tranſit, ſi notabilem, quam Eraſtus prædicavit, evacuationem haud conſequatur, aliâ quâcunque induſtriâ illam potiùs promoveat, quàm ut ægrum deſperatum relinquat.

QUÆSTIO XLIII.

An ad curandam febrem peſtilentialem vena ſit ſecanda?

C. N.

QUemadmodum in expugnandis munitionibus & invadendo hoſte major calamitas incidere nequit, quàm ſi belli duces de modo & proceſſu pugnandi invicem disſentiant: Sic in Medicina major calamitas excogitari nequit, quàm ſi medici, de remediis quibus morbus, acerrimus generis humani hoſtis, profligandus eſt, disſentiant. Dum enim quisque ſuum inſtitutum urget, pulcherrimæ rerum gerendarum occaſiones dilabuntur. Omiſſis autem aliis exemplis, conſideremus unicam duntaxat medicorum concertationem de ſectione venæ in peſte, quæ certè

tanta eſt,ut non niſi ponderatis utriusque partis rationibus & argumentis,judicium ferri vel certi aliquid conſtitui poſſit.

Qui ſectionem venæ in peſte curanda neceſſariam eſſe putant,inter alia argumenta ad autoritatem veterum Medicorum,Ruffi, Aëtii, Æginetæ, Avenzoaris, Celſi, Avicennæ & aliorum confugiunt. Hisce ſimpliciter reſpondetur, turpe eſſe Medico, ſolâ niti authoritate, & ſine ratione loqui.Prætereà Oribaſius,Aëtius,Ægineta venæ ſectionem ex propoſito non approbant,ſed Ruffi ſententiam ſimpliciter recenſent. Ruffus etiam ipſe non nudè ſanguinem mittendum eſſe conſulit:ſed exiſtente magnâ ſanguinis copiâ. An verò ſanguinis copia in febri peſtilentiali ſufficienter venæ ſectionem indicet,breviter conſiderãdum. Hippocrates Aph. 3. ſect. 1. In magna ſanguinis copia venam ſine mora incidendam,& plethoram auferendam eſſe monet. Ergo in febre peſtilentiali, apparentè ſanguinis copiâ vena incidenda. Reſpondeo: dubium non eſt,quin ſanguinis abundantia venæ ſectionem indicet,cæteris tamen paribus, quando ſcil. nulla contraindicantia ſeu prohibentia adſunt, quæ ſectionẽ impedire poſſint:Nam non ſolùm indicantia ſed etiam prohibentia inter ſe ſunt conſideranda.Licet igitur ſanguinis abundantia detractionem illius indicet, peſtilens tamẽ malignitas illam ipſam prohibet,quia per detractionem ſanguinis venenum agitatur & per univerſum corpus magis magisque diffunditur,unde extrema pernicies cordi expectanda;ut Germanicum proverbium de non agitandis vel moven-

movendis ſtercoribus hoc loco obſervandum veniat, quò enim magis moventur, eò latiùs fœtor diffunditur. Hoc ipſum Thucydides intellexit, inquiens, τὸ κακὸν εὖ κείμενον, ȣ̓ κινητέον: Malum quieſcens non lædit, ſed agitatum interimit. Similitudinem habemus in vaſis vinariis, in quibus ſi aliquid impuri aliquò in loco continetur, ſtatim ubi vinũ extrahitur impuritas magis movetur, & plures vini partes inquinantur. Melius igitur eſt, probatis antidotis malignitati occurrere, quàm illam ipſam ſine fructu periculosè exagitare. Celſus etiã non ſimpliciter ſanguinem mittendum eſſe conſulit; ſed tunc quando vires conſtant. Cum autem omnium Medicorũ judicio non ſolùm vires præſentes, ſed etiam futuræ, Medico diligẽter ſint expendendę, certumq́; ſit, vires in hac febre mirificè concidere, utile erit à ſectione abſtinere. Quãtum attinct ad recentiores Medicos, aliquot in medium adducunt rationes, quibus neceſſitatem ſanguinis mittendi perſuadere conantur.

Febres putridæ, inquiunt, ſanguinis miſſionem requirunt. Peſtis hæc eſt febris putrida. Ergo. Reſpondeo, majorem eſſe falſam ex Galen. lib. 11. Meth. c. 41. ubi manifeſtè docetur, febres putridas in ſe conſideratas ſanguinis miſſionem non requirere. Ad minorem quoque reſpondeo, febrem hanc peſtilentialem non eſſe ſimpliciter febrem putridam, ſed gravi & excellenti putredinis gradu ad venenatas febres accedere; ideoque alia curatio debetur febribus ſimpliciter putridis: & alia, ſi propriam eſſentiam & characterem ſpectes, febribus peſtilentialibus. Quæ

enim in uno tertio conveniunt, illa propterea non ſunt eadem,& per conſequens eandem curationem non admittunt.

Galenus comment. 3. in lib. 1. Epid. miratur, quòd Hippoc. Critoni febre laboranti & maculas nigras habenti in crure, ſanguinem non detraxerit. Conſtat autem ex ſignis, inquiunt, Critonem peſte laboraſſe. Ergo in peſte vena incidi debet. Reſpondetur: incertum eſſe, an Crito laboraverit febre verè peſtilentiali; ſunt enim qui putant, venenum ei exhibitum fuiſſe. Poſito tamen, Critonem laboraſſe febre peſtilentiali, prudentiùs tamen egit Hippocrates, qui à ſectione venæ abſtinuit, quàm Galenus, qui intermiſſam admiratur: ſic autoritas autoritate convellitur.

Magnus morbus requirit magnum remedium, ut eſt venæ ſectio. Peſtis eſt magnus morbus. Ergo. Reſponſio. Major eſt vera: falſum tamen eſt, ſolam ſectionem venæ, eſſe magnum remedium. Sunt enim plura remedia, quæ pro diverſitate morborum magna eſſe poſſunt; Epilepſia enim, paralyſis, hydrops, ſunt quidem magni morbi, neque tamen in his affectibus venæ ſectionem facilè quis imperabit.

Quod ſudorem promovet, non eſt omittendum. Sanguinis miſſio promovet ſudorem. Ergo. Minorem probant ex Gal. qui in comment. Aph. 23. ſect. 1. inquit, ſanguinem uſque ad animi deliquium extractum ſæpe movere ſudorem. Reſpõdetur: non eſſe Galeni conſilium, ut nos ad ſimile hortari velit; ſed nudè ibi recenſet, quid aliquando, caſu fortuito acciderit: Ineptum igitur eſſet, ſi quis

quis ad provocandum ſudorem extremâ illâ ſanguinis miſſione uteretur; cùm longè tutiora & meliora remedia ſudorifera ſint in promtu. Præterea minimè ſufficere arbitror, ſudorem ſimpliciter provocare, niſi tali pharmaco provocetur, quod malignitati ſimul reſiſtat. Hinc ſæpiſſimè obſervare licet, conatum iſtorum irritum eſſe; qui absq; antidotorũ uſu vel montes aſcendendo vel aliis violentiſſimis exercitiis ſudorem etiam largiſſimè provocant. Repertus quoq; eſt qui venæ ſectionem ſic aſtruit. In febre peſtilentiali, teſte Gal. magnâ exſiccatione opus eſt. Sanguinis miſſio maximoperè exſiccat. Ergo ſanguinis miſſio non negligenda. Reſpondeo, diſtinguendum eſſe inter præſervationem & curationem. Galenus ad præſervationem maximè requirit exſiccationem: in curatione verò potiſſima intentio eſt ad malignam putredinem dirigenda, quam nemo ſanæ mentis venæ ſectione auferre tentabit, niſi quis univerſum ſanguinem extrahere velit.

Ab experientia quoq; nonnulli argumentantur, multos ſcilicet poſt ſectionem venæ convaluiſſe. Reſpondet Hipp. Aph. 1. Experientiam eſſe fallacem, & Galenus præclarè docet, experientiam nunquam à ratione divellendam eſſe. Clariſſimus etiam Eraſtus dicere conſuevit, diligentiùs obſervandum eſſe, quod rationi & naturæ rerum conſentiat, quàm quod caſu fortuito eveniat. Sed ne nimium detrahere videar experientiæ, quæ in viro bono vicem methodi ſupplet; ſciendum etiam, clariſſimam multorum Medicorum experientiam de non ſecanda vena in febre peſtilentiali ex-

ſtare. Primùm conſtat, cùm an. 1529. ſudor Anglicus totam fermè Germaniam infeſtaret, utplurimum omnes interiiſſe, quibus ſanguis fuit detractus. Referunt etiam Annales, anno 1510. febrem peſtilentialem crudeliter in Gallos ſæviiſſe, ad quam profligandam, quibus alvus fuit ducta, vel ſanguis extractus, omnes multò citiùs interiiſſe. Præterea Julius Palmarius ſcriptum reliquit, cùm anno 1568. peſtis Lutetiæ graſſaretur, omnes habuiſſe calamitoſum exitum, quibus ſanguis fuit miſſus, reliquos verò, asſumptis cordialibus & alexipharmacis remediis, convaluiſſe. Joannes Langius celebris Medicus peſſimam Germanorum conſuetudinem prolixè deteſtatur, qui potiſſimùm peſtis remedium in ſanguinis profuſione collocant. Accedit autoritas præſtantiſſimi Geſneri, qui in magna illa Tigurinorum peſtilentia obſervavit funeſtum illorum exitum, qui ſpem vitæ in ſectione venę collocaverant. Longum etiam eſſet & ſupervacaneum, eos nominatim hîc recenſere, quibus hoc peſtis tempore venæ ſectio infeliciſſimè ceſſit. Nec denique deſunt multorum clariſſimorum Medicorum Theſes de non ſecanda vena in morbis malignis, publico omnium judicio approbatæ.

Hanc eandem ſectionem improbârunt Montanus, Andernacus, Lemnius, Friſimelica, Doncellininus, Bellocatus, aliiq; celeberrimi medici. Verùm enimverò ſunt adhuc nonnulli qui certis conditionibus, nobis ſectionem venæ obtrudere conantur, quorum tamen maxima inter ſe eſt disſenſio. Alii enim ſine mora, quàm primùm ab invaſione

vaſione morbi ſanguinem mittunt, alii expectā-dum eſſe præcipiunt, donec tumores vel maculæ erumpant, ne venæ ſectio in parte vel latere tumoribus adverſo, inſtituta, naturæ motum impediat, & venenum de uno latere in alterum deducat. Alii item ad animi deliquiū mittunt. Alii parcè ſanguinem mittendum eſſe conſulunt. Alii deniq; ſtatim quidē ab invaſione morbi ſanguinem detrahunt, ſimul tamen Alexipharmacum exhibent, & cucurbitulas partibus glandulosis, ad quas natura venenatos humores protrudere ſolet, affigunt, & ſic demum venam incîdunt, ſperantes, motum naturæ hoc apparatu impediri non poſſe. At verò ſi horum Medicorum placita accuratiùs perpendamus, apparebit, omnes in errore verſari, & miſeros homines in extrema vitæ pericula conjicere. Qui enim ſtatim ab invaſione morbi ſanguinem mittunt, præterquam quòd ipſiſſima negligunt alexipharmaca, quæ ſine cunctatione exhibenda erant, ægrum in præſens discrimen vitæ præcipitant. Cùm enim per initia morbi incertum ſit, an natura, cujus miniſter Medicus eſſe debet, veneni propulſionem parte inferna vel ſuperna, latere dextro vel ſiniſtro ſit tentatura, incerto eventui rem committant, neceſſe eſt. Si enim Medicus venam cubiti aperiat, natura verò maculas & tumores parte inferiore, utpote in cruribus propellat; dubium non eſt, naturæ motum jam impeditum eſſe. Eadem ratio eſt, quando ſiniſtri lateris vena inciditur, natura interim in dextro latere propulſionem moliente.

Quapropter venæ ſectio ſtatim ab invaſionē morbi ſine præſenti vitæ periculo adminiſtrari nequit. Qui conſulunt, exſpectandum eſſe tempus erumpentium tumorum & macularum, & deinde ex eodem latere ſanguinem mittunt, ii in præceptum Hippocratis graviter impingūt, quòd peſtilentiſſimo hoſti inducias permittunt: in acutis enim morbis, quod movendum eſt, id ſtatim initio moveri debet, ut inquit Aphor. 29. ſect. 2. Prætereà ſi, quod frequenter accidit, natura in utroque latere, parte etiam ſuperna & inferna maculas expellat, an non Medicus anceps redditur, & venæ ſectio periculoſa? locum enim non invenit, quem ſecurè incidere poſſit. Qui ad animi deliquium ſanguinem mittunt, ſunt omnium audaciſſimi, & vitam, quæ in ſanguine fundata eſt, ſimul cum ſanguine profundunt, quin etiam virium robur, quod ad ſuperandum hunc atrocem hoſtem eſt neceſſarium, disſolvunt, ut ſub tanto peſtis onere miſeris omnino ſit ſuccumbendum. Qui parcè ſanguinem mittunt, trepidationem & ignorantiam declarant, credentes parum, parum nocere; cùm tamen nullum ſit tàm exiguum erratum, quod teſte Hippocrate 2. Epid. in morbis acutis magnoperè lædere non poſſit. Qui denique confeſtim ſanguinis miſſionem imperant, ſed corpus ſimul, extrinſecus quidem cucurbitulis impoſitis, intrinſecus verò Alexipharmacis asſumptis muniunt; ſatis illo ipſo apparatu declarant, ſe rem magni periculi tentare, alioquin iſtum apparatum omitterent. Ex hisce ſatis opinor apparet,

paret,venæ ſectionem in curatione peſtis locum nullum habere.

QUÆSTIO XLIV.

An per vomitum ſicuti per alvum purgatio inſtitui poſſit?

C.N.

QUemadmodum in gynæceis nihil tam frequens eſt quàm ægrotare incipientibus ſudorifera exhibere,ſine ulla diſcretione & reſpectu morborum & partium malè affectarum, ſintne crudi vel cocti,ſitne pars malè affecta ita diſpoſita,ut noxam ſuam cauſamque mali per ſudorem expellere poſſit:Ita nonnulli altum ſapere volentes,ſtatim,nullâ cauſæ morbificæ aliarumque circumſtantiarum habitâ ratione,vomitoria ſua exhibent.

Quantus ſit hic error, non niſi qui rationalem curandi methodum amplectuntur, perſpiciunt. Hic igitur abuſus in quæſtionem nos deducit, An quemadmodum corpus humanũ per alvũ,ſic etiam per vomitũ utiliter purgari poſſit?

Ad decidendam hanc quæſtionum opus eſt ut primùm naturam medicamentorum per alvum purgantium & vomitoriorum cognoſcamus: Deinde quæ ſit conditio ventriculi ad quem humores per vomitum rejiciendi rapiuntur,& quæ ſit conditio inteſtinorum ad quæ iidem humores expurgandi,traducũtur.

Primum quod attinet,cõcors eſt omnium ve-

MEDICAL SOCIETY

terum Medicorum ſententia, purgantia medicamenta propriè ſic dicta, non indifferenter omnes humores, ſed certos & ſpecificos occultâ & indicibili proprietate exterminare, ut docet Galenus lib. 1. de fac. purg. lib. 3. de fac. ſimpl. cap. 25. lib. 2. de elem. cap. ult. Orib. lib. 14. collect. cap. 41. Actuar. lib. 13. meth. cap. 7. & 8. Ægin. lib. 7. c. 4. Notabile verò cumprimis eſt quod Galenus in lib. de atra bile, cap. ult. inquit, Si dederis hydropico medicamentum, quod flavam bilem movet, nihil juvabis, & ſi dederis icterico medicamentum quod aquoſos humores purgat, nihil efficies.

Præterea idem Galenus contra Eraſiſtratum disputans, inquit, Si quæris, cur Hippocrates eandem ſententiam non expreſſerit; reſpondeo, inquit Galenus, idem Hippocrati accidiſſe, quod olim legumlatoribus, qui in horrenda & inaudita tum temporis crimina nullam conſtituerunt pœnam, quia putârunt nullum talia commiſſurum. Sic Hippocrates non putavit quemquam fore, qui hanc medicamentorum purgantium operationem negare auſus fuerit. Horum igitur vetuſtiſſimorum ſententiam plerique ferè omnes ex recentioribus recipiunt.

Vomitoriis autem medicamentis ſpecificorum humorum attractio nuſquam tribuitur, id quod ex Ægineta lib. 7. de re med. cap. 10. patet, ubi ait, Vomitoria medicamenta neque ſanis, neque acuto morbo ægrotantibus permittimus, ſed in morbis diuturnis, quando mali cauſa in ventriculo conſiſtit. Adeoque vomitoria ex ventriculo duntaxat evacuant, & quidem indifferenter, quicquid

quid in eo reperiũt. Quanquam autem in eodem capite aſſerat, elaterium bilem & pituitam evacuare, tamen ſubintelligendum, ſi nimirum in ventriculo hæreant illumq́; enervent. Ejusdem ſenſentiæ eſt Orib. lib. 1. ſynop. c. 18. ubi vomitum ſoli ventriculo inaniendo conſecrat, ac proinde talia pharmaca præſcribit, quæ nauſeam potiùs, & inſequentem vomitum, quàm definitorum & ſpecificorum humorum attractionem & expulſionem moliuntur; cujusmodi ſunt unguentum Irinum, aqua tepida cum oleo rancido & ſimilia, quæ minimè electivè trahunt, ſed ventriculum conturbant & quaſi evertunt. Quanquam etiam Actuarius l. 4. meth. c. 4. melancholici humoris per vomitũ evacuati meminit; minimè tamen pharmacis vomitoriis, ſed naturæ noxium humorem per vomitum expellenti, vim illam asſcribit.

Quapropter cum nulla ſint vomitoria, quę ſpecificâ proprietate certos & appropriatos humores expellant, fieri nequit, ut eadem ſit utilitas vomitoriorum quæ eſt purgantium. Poſito tamen, minimè verò conceſſo, non minùs dari vomitoria quàm purgantia, ſpecificâ virtute certos humores expellentia; ſi tamen ventriculi conditionem & officium ſpectemus, longè diverſum illud ab inteſtinorum, inferiorum potiſſimùm, officio deprehendemus. Ventriculi ſiquidem officium eſt, cibum ingeſtum ſuâ virtute concoquere. Inteſtinorum officium eſt, ſordes totius corporis excipere, & ad tempus urgentis naturæ aſſervare. Hinc medici in corporibus impuris omnem dant operam, ut facultatem expultricem per medica-

menta idonea totius corporis ſordes & ſupervacaneos humores ad inteſtina tanquam ad ſentinam, & locum ad id à natura deſtinatum transmittere asſuefaciant.

Quòd ſi verò tales ſordes per vomitoria ad vẽtriculum longo uſu derivare ſtudebimus; quis non agnoſcit, alvum adſtrictiorem, & ad egerendum tardiorem fieri, ventriculum contrà commaculari, in concoquendo cibo impediri, & in cloacam totius corporis mutari. Hoc ſuo malo expertus eſt Frobenius Baſilienſis; qui, ut refert Zwingerus in Theatro, à natura multum vomere asſuetus, ventriculum ita enervavit, ut infirmatâ facultate concoctrice, deficiente alimento, tabe conſumptus fuerit. Conſiderent ergo chymici, quibus nihil tam eſt familiare, quàm per validiſſima vomitoria corpus evacuare, in quæ pericula homines conjiciant; dum naturæ ordinem planè invertunt, & ex ventriculo, membro nobili, impuram cloacam efficiunt. Haud enim illis patrocinatur, quod Hippocrates in libello de helleboro, & Galen. in libr. quos purg. op. quandoque per ſuperiora, quandoque per inferiora purgandum eſſe docent, expreſsè ſiquidem innuũt, tunc per vomitum purgandum eſſe, quando materia noxia vel in ventriculo vel in viis proximioribus hæret. Quemadmodum igitur in febre quotidiana aliisq; affectibus à pituita dependentibus, utpote quæ circa ventriculum hærere ſolet, vomitoria cum fructu uſurpantur; ſic de electiva ſpecificorum humorum per vomitum purgatione, altiſſimum ubique ſilentium.

QUÆ-

QUÆSTIO XLV.

An dyſenteriæ potiſſima cauſa ſint fructus autumnales? C. N.

CUm dyſenteria tempore potiſſimùm autumnali graſſetur; factum eſt, ut non ſolùm idiotæ, ſed Medicorum quoque nonnulli, potiſſimam hujus mali cauſam in fructuum autumnalium eſum referant. Quanquam autem dubium non ſit, fructus iſtos, horarios inprimis, quos vocant, qui corruptioni facilè ſunt obnoxii, ut ſunt perſica mala, pruna & quædam pyrorum genera, dyſenteriam excitare: haud rarò tamen experimur, etiã puerulos lactentes, & qui exceſſum circa victum non committunt, eos etiam, qui à fructibus ſibi diligenter cavent, iis quin etiam annis, quibus nullus eſt talium fructuum proventus, in dyſenteriam incidere. Quapropter tantum abeſt, ut cauſam mali in fructus iſtos horarios duntaxat referam, ut potiùs omnis generis humores longo tempore congeſtos, partim acrimoniâ vel ſalſedine, partim etiam aptitudine ad putreſcendum, dyſenteriam excitare putem. Humores ex ſuâ naturâ acres & mordaces quod attinet, nonnulli in ea ſunt ſententia, humores acres & bilioſos dyſenteriam excitare non poſſe, eò quòd dyſenteria ſeu exulceratio inteſtinorum haud fiat in inſtanti, ſed moram requirat. Jam verò humores acres & bilioſi moram in inteſtinis non trahunt. Proinde apti ad dyſenteriam generandam eſſe nequeunt:

pituitam verò ſalſam propter viſcoſitatem, inteſtinorum tunicis diutiùs adhærere, easque exulcerare. Sed hîc primùm diſtinguimus inter bilem flavam naturalem, tenuem, & inter bilem præternaturalem, craſſam, & in inteſtinis diutiùs adhærentem. Deinde bilis flava licet tenuis ſit, & in inteſtinis non diu moretur; quotiescunq; tamen in anfractus inteſtinorum illabitur, facilem inde exitum non habet, ſed vi quaſi detentâ exulcerat. Præterea tanta poteſt eſſe bilis flavæ acrimonia, ut in ſolo etiam transitu exulceret. Reliqui humores quicunq; ad putredinem diſpoſiti ſunt, diutiùs in inteſtinis hærent, donec & ipſi cōputreſcendo acrimoniam & exulcerandi vim acquirant; quam ſimul ac conceperunt, non minùs ac alii humores ex ſua natura acres dyſenteriam generant. Et ſanè quantum ex frequenti excretorum inſpectione, & diligenti ægrotorū conſideratione obſervare potui, eos cūprimis, qui vel inordinatè omnino ſine ullo ciborū delectu vivunt, vel qui annuas totius corporis evacuationes negligunt, dyſenteriâ correptos vidi. Prava ſiquidem alimenta non niſi pravos & corruptos humores circa epar, lienem & inteſtina moram longā trahentes generant, qui tandem putreſcentes exitū ſibi quærunt, idē fit in iis, qui annuas evacuationes negligunt, & de die in diem vivendo, hoſtem ad ſui perniciem in intimis viſcerib. fovent, donec exeundo domicilium deſtruat & evertat. Præterea hiſtoriæ teſtantur, integros ſæpè exercitus alvi fluxionibus deletos fuiſſe, quando vel cibis putredini obnoxiis, vel premēte rerum ad victum neceſſariarum penuriâ, quosvis
cibos

cibos non ſatis cognitos ſine diſcrimine ingeſſerunt: cujus rei exẽpla habemus in exercitu C. Cæſ. Maſſiliã obſidentis, de qua Cęſar lib. 2. de bello civ. Itẽ in obſidione Neapolitana an. 1529. Ex eâdem causâ graviſſimam dyſenteriã paſſus eſt exercitus Caroli V. in provincia Narbonenſi, teſte Carione. Imò nulla fermè ſuſcipitur in Ungariã expeditio, quin ex incautâ victus inuſitati ratione, major exercitus pars dyſenteriâ, quàm ferro occũbat. Hæc nulli, neq; ipſis bellorũ ducibus parcit. Conſtat n. Veſpaſianum & Trajanũ, autore Oroſio; Auguſtũ Cęſ. teſte Suetonio; Albertũ Auſtriac. & Frideric. 3. Impp. Rom. referente Munſtero, Ferdinandum regẽ Neap. teſte Cominęo, dyſenteriâ occubuiſſe.

Hinc eſt, quòd diverſæ dyſenterię ſpecies etiam uno & eodem anni tempore, in diverſis corporib. fiunt, ac proinde non niſi diverſimodè curantur. Quæ enim à bile proveniunt, ſolis refrigerantibus & acrimoniam bilis obtundentib. tempeſtivè uſurpatis, nõ rarò ſiſtuntur. Quę verò à pituita ſalſa, vel aliis humoribus viſcoſis vel putredini obnoxiis oriuntur, deterſionibus & repetitis purgationib. de quibus pleni ſunt practicorum libri, curantur. Communiſſimã ergo morbi cauſam, cõmunem hominum in victu errorem, & in pharmacis tempeſtivè aſſumendis negligentiam eſſe exiſtimo. Quotus enim quisque eſt, qui in præſervatione morborum ſibi pharmaca præſcribi patiatur? Mirum igitur non eſt, ſi tempore autumnali omnium inconſtantiſſimo, maximeque inæquali, humores longo tempore collecti, & calore æſtatis quaſi reſoluti vel putrefacti ſub

autumnum cum funeſto alvi profluvio exitum ſibi quærant. Quanquam in ipſam quoque æſtatem, torridam cumprimis, ſuoque calore bilem flavam multiplicante, dyſenteria non rarò incidat. Cujus rei exemplum habemus in numeroſo exercitu, quem Carolus V. ex Germanis, Italis & Hiſpanis collectũ ſub ardentiſſimo cæli ſtatu contra Ariadenum Barbaroſſam in Turciam infeliciter, ut teſtatur Jovius, traduxit.

QUÆSTIO XLVI.

An purgantibus medicamentis in dyſenteria uti liceat? C. A.

EX præcedente quæſtione alia naſcitur, an nimirum in curanda dyſenteria purgantib. medicamentis uti liceat. Galenus lib.12.meth.cap.1. purgantia medicamenta deteſtatur. Avicenna quoque Fen.4.lib.1.cap.4. negativam ſententiam tueri videtur. Ventrem, inquit, in ventris ſolutione ſolvere, eſt timore plenum. Galeni veſtigiis inſiſtit Valleſius Com.in 4.Epid.Hipp. ubi exponens caſum Leambii, temeritatis notam eos incurrere aſſerit, qui in dyſenteria ad purgãtia transeunt: quid enim, inquit, aliud eſt purgare in dyſenteria, quàm majorem humorum colluviem ad locum malè affectum, & inteſtina dolentia concitare & periculum augere? Quin etiam vulgaris Medicorum regula huic inſtituto reclamat; quâ ſimilia ſimilibus conſervari, & contraria contrariis curari dictitant. Hinc homines rerum ignari, quoties

uoties vel purgantem potum, vel clyſterem dy-
enterico adminiſtratum audiunt, obſtupeſcunt
uaſi & Medicorum conſilium admirantur. Ve-
ùm qui penitiùs omnia rimatus fuerit, is mirari
leſinet. Purgantia enim licet ipſi affectui ſeu ef-
ectui non ſint contraria, cauſæ tamen iſtius mali
naximè adverſantur, quam, etſi non radicitus ex-
tirpant, ita tamen imminuunt, ut minùs periculi
leinde ſit pertimeſcendum. Unde etiam dici ſo-
et, fluxum per fluxum curari. Deinde magna eſt
urgantium medicamentorum varietas & diſſi-
nilitudo; alia enim ſunt laxantia, quæ, quia alvum
n dyſenteria jam ante laxam & lubricam offen-
lunt, & laxiorem relinquunt, ideo locum habere
equeunt. Electivè autem purgantium alia ſunt
enigniora & mitiora, alia vehementiora. Vehe-
nentia nemo niſi delirus adminiſtrabit: mitiora,
a cumprimis, quæ moderatam aliquam poſt ſe
elinquunt adſtrictionem, ut ſunt Rhabarbarum
x Myrobalanorum genera, ſi ad humorem acrem
x ſalſum dirigantur, mitiſſimè purgant, materiam
eccantem imminuunt, aditumque faciunt, ut,
uodcunque reſiduum eſt, per adſtringentia, in-
raſſantia & emplaſtica meliùs refrænetur & co-
erceatur.

Ad textum igitur Galeni reſpondendum, eum
liſertis verbis in illũ invehi, qui dyſentericis non
olùm cæpam in cibum offerebat, ſed muriam
uoq; acerrimam per alvum infundebat, & ſimul
urgantia, vehementiora ſcil. quorum antiquitus
ſus erat, per os propinabat; quo curandi modo
obuſtos quoſdam curatos, plurimos verò alios

crudeliter necatos fuiſſe refert. Diſtinguendum igitur inter purgantia vehementiora & mitiora, nec non inter tempeſtivam & intempeſtivā purgationem. Quicunque enim Medicus per initia morbi vocatus (quod tamen in Germania noſtra eſt de rarò contingentibus) leniter purgantia & detergentia uſurpaverit, id quod plerique recentiores practici cum laude facere conſueverunt, is magnum aditum ad felicem curationem perficiendam ſibi comparavit.

QUÆSTIO XLVII.

An in dyſenteria adſtringentibus propriè dictis ſit utendum? C. A.

QUi practicorum libros paulò accuratiùs inſpicit, facilè deprehendet, nullam ferè differentiā inter aſtringentia, emplaſtica, incraſſantia, frænantia obſervari; ſed promiſcuè & confusè in curandis fluxionibus uſurpari; cùm tamē Galenus 1. ſimpl. fac. c. 32. 33. & 34. evidentem differentiam conſtituat. Adſtringētia enim frigida ſunt & ſicca, atq; ſubſtantiā habent craſſiuſculam, omnis acrimoniæ expertem: unde venarū orificia, omnesq; alios corporis ductus & meatus anguſtant, coarctant & occludunt, ut materia tenuis, acris & fluxilis in motu & agitatione impediatur, & vi quaſi reprimatur. Ex horū numero ſunt meſpila, ſorba, pruna ſylv. rodicem Tormentillæ: Biſtortæ &c. Quòd ſi quis Galeno, acerrimo ſimpliciū cenſori, litem movere, eumque contradictionis arguere

velit,

elit, facilè id poterit, nam lib.1.ſimpl.c.33. contra
Metrodorum Aſclepiadeũ disputans, etiã Chalci-
itẽ, Chalcantum & Myſi, aliaq; calidiſſima & ad-
ringẽtia refert. Sed huic in pſ:ntia ſufficiat, quòd
Gal.lib. 4.ſimpl. de adſtringentib. propriè dictis,
b.1. verò de impropriè dictis agat. Emplaſtica ve-
ò ſunt, cujus partes veluti glutine colligatæ tena-
:ter invicem cohærent, adeò, ut, quicquid attin-
unt, ſuâ viſcoſitate ad fluendum ineptũ reddant,
t ſunt althea, malva, acanthus &c. Incraſſantia
int, quæ ſuæ ſubſtantiæ craſſitie & terreſtreitate
umores tenues, quib. ſeſe permiſcent, craſſiores
: fixiores faciunt: ut ſunt bolus Armenia, Hæma-
tes, cornu cervi &c. Frænantia ſunt, quę humo-
:s turgentes vel ferocientes quâdam frigiditate
ɔërcent & compeſcunt; ut ſunt Ribes, Berberis,
ıalum punicum &c.

Circa hæc Itali quæſtionem aliquando move-
int, an quæ propriè adſtringentia vocantur, in
ıranda dyſenteria locum habeant.

Itali, ne impuram acrium & erodentium hu-
.orum in dyſentericis collectorum ſaburram per
lſtringentia cohibeant, & intra corpus ad gra-
ora mala excitanda detineant, per initia leniter
ırgant & detergent; deinde ſolis incraſſantibus
emplaſticis curationẽ abſolvunt. Ad ſuas quoq;
rtes traducunt Galenum, qui in lib. de ven.ſect.
ıntra Eraſiſtratum inquit, Non paucos vidi, qui
ſenteriâ, varicibus & hæmorrhoidibus per ad-
ingentia ſuppreſſis, in apoplexiam, inſaniam,
phritidem, pleuritidem, hydropem, ſanguinis
mitionem & ſcabiem fœdiſſimam inciderunt.

Nonnullis etiam, inquit, Scholiographus Hollerii, inteſtina adeò reſiccantur, ut alvi perpetua adſtrictio remaneat. Idem ad cap. 43. libr. 1. Holl. de cur. morb. inquit, Qui alvum celeriùs & vehementiùs adſtringentium uſu ſupprimunt, ii pus in tunicis inteſtinorũ includunt, unde inſania nonnunquam ſequitur. Mulierem quoq; idem novit, cui ex tali medicatione alvus per totam vitam non niſi ſeptimo quoq; die egerebat, & ore naribusq; graviter olebat. Alii adſtringentia & diuretica miſcent; verùm quomodo & quâ utilitate id præſtari poſſit, haud aſſequor. Si enim diuretica & adſtringentia ſimul miſcent, manifeſtum eſt, quàm id nullo cum fructu fieri poſſit, eò quòd unum alterius vires deſtruet & corrũpet. Sin adſtringentia per clyſteres, diuretica verò per os propinant, ut materia acris ab inteſtinis ad vias urinæ derivetur, majus imminebit periculum. Nam ſi inteſtina longè craſſiora & denſiora ureterib. acrimoniam humorum ſuſtinere non poſſunt; quomodo tenuiſſimi ureteres ſine exulceratione & perforationis metu illam ſuſtinebunt? Rectè igitur Savonarola in cur. dyſent. inquit, illos in ſcyllam incidere, dum charybdim vitare cupiunt.

Trallianus libr. & cap. 8. poſt diem tertium ad adſtringentia transit. Idem facit Aëtius, Celſus, & pleriq; omnes alii tam veteres, quàm recentiores; qui non ſolùm adſtringentia, ſed urgente etiam neceſſitate narcotica uſurpare, nunquam ſunt veriti.

Quapropter qui adſtringentia damnant, eos de præmaturo, intempeſtivo, & immoderato adſtrin-

gentium

gentium uſu intelligendos eſſe arbitror. Præmiſſis verò præmittendis, quin verè & propriè dicta adſtringentia cum moderamine tempeſtivè uſurpata, ad curandam dyſenteriam plurimùm poſſint, non eſt dubitandum.

QUÆSTIO XLVIII.

An in dyſenteria aquâ frigidâ ſit utendum? C. A.

PORrò in curanda dyſenteria incidit & hæc quæſtio, an aqua frigida dyſentericis ſit exhibenda?

Trallianus lib. & c. 8. aquam pluvialē exhibet, à qua Jachinus in lib. 9. Rhaſis non abhorret: Celſus etiam libr. 4. c. 15. collocat magnam curationis ſpem in potu aquæ bene frigidæ. Ex recentioribus quoq; non pauci bilioſam materiam conſiderantes, à qua frequenter dyſenteria excitatur, aquæ frigidæ uſum non formidant; acrimoniam ſiquidem bilis flavæ, aliorumq; humorum acrium obtundit, calorem contemperat, ſitim ſedat, ſordidumq; & purulentum inteſtinorum ulcus probè eluit & mundificat. Præterea nō paucos ex infimâ plebe, ſolâ & largiore aquæ frigidæ potatione, præter multorum ſpem evaſiſſe recordor.

Verùm Aretæus lib. 2. morb. chron. c. 9. docet, aquam frigidam inteſtina exulcerare; id quod ab omni ratione alienū eſſe videtur: cùm enim aqua omnis acrimoniæ & mordacitatis expers ſit, quomodo exulcerabit? Quapropter exiſtimo, graviſ-

ſimum iſtum ſcriptorem non ad literam intelligendum eſſe. Reſpexit autem ſine dubio ad Aph. 20. lib. 5. Hipp. ubi docet, frigida inimica eſſe ulceribus, item ad Aph. 18. ejusdem libri, ubi addit, frigida adverſari nervis. Jam verò dyſenteria nihil aliud eſt quàm ulceratio, & quidem in parte nervoſa. Ergo aqua frigida dyſentericis nocet. Sed reſpondetur, Hippocratem loqui de externis partium cutanearum ulceribus, & frigore extrinſecus occurrente. Jam verò aquæ potus cùm in ventriculo alteretur antequam ad inteſtina transit, nihil incommodi inde pertimeſcendum. Quapropter ſalvo aliorum judicio, exiſtimo aquæ frigidæ potum mediocriter carnoſis, nec ad extremum debilitatis propter cauſas allatas minimè formidandam aut fugiendam eſſe.

QUÆSTIO XLIX.

An in melancholia hypochondriaca frequenter ſit purgandum? C. N.

QUanquam omnium Medicorum judicio Melancholici difficulter reſtituantur, in difficillimis tamen caſibus nõ omnino deſperandum eſſe, variis exemplis monemur. Quæri autem hoc loco poteſt, an venæ ſectio frequenter iterata, & purgationes frequentiores locum in melancholiæ curatione obtineant? Si in genere omnium Melancholicorum conditionem ſpectemus, magnam ſiccitatem deprehendemus. Jam verò ſanguinis evacuationes & purgationes frequentiùs repe-

repetitæ, univerſum corporis habitum mirificè extenuant magisque exſiccant; ut ab una parte concludi poſſit, fugiendas eſſe tales inanitiones. Ab altera parte ſtat Actuarius, qui lib. 2. cap. 3. diſertis verbis non ſolùm frequentém ſectionem venæ & purgationes, ſed illas etiam vehementiores commendat. Platerus quoque practicus celebris venarum ſectiones & purgationes vehementiores, vigeſies repetendas eſſe monet.

Hac in parte ad cauſam melancholiæ diligenter reſpiciendum eſſe exiſtimo. Quanquam enim plerique omnes exiſtiment, melancholicum morbum ab humore vel vapore melancholico dependere, qui vel primariò in cerebro generetur, vel in liene, indeque ad cerebrum aſcendat; Capovaccius tamen Patavinus aliquando multis rationum momentis demonſtravit, cerebrum ex naturâ humidiſſimum, ad tantam intemperiem nunquam devenire poſſe, ut humorem melancholicum, ſiccum ſcilicet & terreſtrem gignat.

Proinde per conſenſum lienis duntaxat generabitur. Hujus verò generationis duplex modus eſſe poteſt. Vel enim lien obſtruitur, ut ſanguinis maſſam à fece melancholica liberare & mundificare minùs poſſit, unde neceſſariò fex iſta melancholica circa epar, Meſenterium & ſimilia loca viciniora ſubſiſtit, ſurſumque in cerebrum evaporando mentem perturbat. Vel infirmior eſt lien, quàm ut fecem melancholicam ſubigere & vincere poſſit, ſi vel maximè attrahendi munere fungatur, alterandi tamen &

expellendi facultate deſtituitur, ac proinde pari neceſſitate in cerebrũ exhalat. Hæc licet frequenter ita ſe habeant, dubium tamen non eſt, quin aliter etiam melancholia generetur. Primùm conſtat ex Hipp. Aph. 23. l. 3. Si metus & mœror longo tempore perſeverent, melancholiam generari. Jam verò nulli ignotum eſt, metũ & mœrorem totum corpus absq; humoris melancholici generatione vel multiplicatione nimium exſiccare. Deinde non rarò experimur, per nocturnas viſiones, ſpectra, terriculamenta, triſtia nuntia, repentinosque terrores, melancholicum affectum non paulatim, ut in priori caſu, ſed derepentè quandoque oriri, qui tamen non minùs diutiſſimè durat, ac ille, qui vel à multitudine humoris melancholici, vel lienis vitio proficiſcitur. Quis igitur judicabit ſubitaneam iſtam melancholiam citra humoris melancholici copiam, & lienis vitium, generatam, frequentioribus purgationibus & ſectionib. venæ tractandam eſſe? Quapropter, quotiescunq; melancholia ex vitiato liene oritur, ita ut vel non attrahatur, vel minùs expellatur, ſed ad alias ſedes impellatur humor melancholicus, toties frequenter & purgare, & venas ſecare licebit, admiſcendo tamen electuaria cordialia, temperatè humida. Quoties verò ex ſolis curis, pavoribus & terroribus oritur, quod ex continuis vigiliis, hypochondrii mollitie, ſiccitate totius corporis, cumprimis verò ex cauſis antecedentib. cognoſcere licet; toties ab inanitionibus totaliter eſt abſtinendum, & per cordialia temperatè humida, victumq; humectantem procedendum eſſe exiſtimo.

QUÆ-

QUÆSTIO L.

An alvi fluxus in pleuritide & peripneumonia ſignum lethale? C. A.

CLariſſima eſt Hippocratis ſententia Aph.16. li.6. diarrhœam, pleuritidi vel peripneumoniæ ſupervenientem, eſſe ſignũ lethale. Eandem ſententiam iisdem verbis repetit lib.1. de morb. In eandem etiam ſententiam inclinat Actuar. lib.1. meth. c.17. & lib.3. c.18. Sic Dovinetus lib.3. c. ult. refert, quendam pleuriticum, cui diarrhœa ſupervenit, die quarto mortuum fuiſſe. Verùm hęc ſententia nõ tam propter Hippocratem, quàm interpretem illius Valleſium in com, contemplatione eſt digniſſima. Cur enim Hippocrates diverſis affectibus, quorum alter in thoracis laterib. & muſculis intercoſtalibus, alter verò in ipſis pulmonib. conſiſtit, unum & idem peſtilitatis ſignũ tribuit? An quia Hippocrates longâ experientiâ tale quid didicit? an verò quòd in pleuritide & peripneumonia laborat facultas animalis & vitalis, reſpiratio nimirũ, quæ ex vitali & animali eſt compoſita? Accedẽte ergo alvi profluvio, tertiâ ſcil. facultatis naturalis læſione, magnum vitæ periculum imminet. Contra primam rationem adduci poteſt Galenus lib.6. de loc. affect. c.4. aſſerens, pulmonum vitia per urinã, thoracis verò per alvum evacuari. Hanc difficultatem auget Hippoc. libr.7. Epid. text.14. Caupo, inquit, qui peripneumoniâ tenebatur, alvi fluxu ſtatim correptus, indies meliùs

habuit, ut die 14. ſanus evaſerit. Idem docet in Coacis, Quibus in febribus, inquit, dolores lateris fiunt, iis alvus multa aquoſa & bilioſa dejiciens, remedium adfert. Quanquam autem Valleſius in com. Epidem. rationem reddens, cur caupo ille contra ſententiam Aph. 16. per alvi fluxum ſervatus fuerit, reſtitutionis cauſam potiùs in ſudorem copioſum, qui die 4. & 8. apparuit, referat; ſi tamen caſum Hermoptolemi, die 15. eâdem peripneumoniâ mortui, examinemus, & vim dierum criticorum conſideremus; evidenter patebit, cauponem potiùs propter alvi fluxum, quàm propter ſudorem mortis periculum evaſiſſe. Caupo enim ſudavit die 4. & 8. qui dies critici non ſunt; ergo nullum levamen per ſudorem acceſſit. Hermoptolemus verò ſudavit die 9. & 11. qui dies licet critici ſint, mortuus tamen eſt Hermoptolemus; ſine dubio, quia alvus fuit ſuppreſſa; expreſſit enim Hippocrates hæc verba: *Bilioſæ egeſtiones ſunt ſiccatæ &c.* Hinc ergo infertur, pulmonum affectus per alvum non infeliciter evacuari; plus enim valoris habuit alvi fluxus in caupone, quàm ſudores Hermoptolemi, bis in diebus criticis effuſi. Latera quoque thoracis non minori felicitate per alvum evacuari, teſtatur Valleriola duobus exemplis: Arduinus, inquit, patricius Arelatenſis, pleuritide correptus, nullo procedente ſputo, pro deplorato habitus, vigiliis animiq́ue deliquiis exhauſtus, ſuperveniente ad diem 14. alvi fluxu copioſo, præter omnium ſpem, Dei gratiâ, fuit ſervatus. Johannes autem Valleriola, filius meus, gravi pleuritide correptus, absque ullo ſputo deli-

rans,

rans, horrendum clamans & convulſus, ut in horas moriturus putaretur, alvi profluvio oborto fuit reſtitutus.

Sed pro Hippocrate reſpondetur, rara accidentia nihil derogare arti. Præterea alvus in pleuriticis & peripneumonicis, ſicut etiam in phthiſicis, & plerunque in fine morbi, viribus jam attritis & exhauſtis ſupervenit; unde mirum non eſt, quòd moriuntur. In caupone verò alvus ſtatim, & quidem confertim viribus nondum fractis fuit ſoluta. Galenum quod attinet, etſi oculatus teſtis fuit, thoracis vitia per vias urinæ ſolvi & terminari, addit tamen hæc verba: *Pulmo & thorax rarò per alvum purgantur.* Cujus rei rationem reddit Jacotius in comment. ad coac. Hippocratis.

QUÆSTIO LI.

An pica ſit affectus ventriculi?

INter alias pœnas, quibus Deus ob lapſum primorum parentum muliebrem affecit ſexum, multiplices iſti morbi, qui ſolis prægnantibus accidunt, meritò numerantur. Omnium verò morborum maximè admirabilis eſt inuſitatus ille, inhumanus & inſatiabilis rerum non edendarum appetitus, quando prægnantes vel carnes crudas, easq; vel humanas vel pecuinas, carbones etiam, & terrã miro ardore appetunt, & impunè interdum devorant. Hunc affectum Hippocrates in lib. de

ſuperfœtat. picam nominat. Cauſam hujus mali Galenus libr.1.de ſympt.cauſ. cap.7. Aëtius lib.4. ſerm.4.c.10. Actuarius lib.1.c.20.ex recentioribus Mercatus, Montanus, Savonarola, & quotquot de morbis mulierum ſcripſerunt, incorruptos & indicibilis qualitatis humores vel vapores ex utero aſcendentes, & ventriculum occupantes conjecerunt; quaſi pro variâ vaporum & humorum ex utero in ventriculum irrepentiũ conditione, varia & inſueta edulia appetantur. Suſpicor tamen, hujus appetitus cauſam minùs philoſophicè ſoli ventriculo imputari. Etſi enim ventriculi officium ſit cibum appetere; ciborum tamen electio, hunc ſcil. cibum tanto ardore appetere & eligere, illum renuere, penes cerebrum eſſe videtur. Rectè igitur Aëtius lib.3.cap.20. ventriculi appetitum, ſimplex expletionis deſiderium appellat; eligere namque & dijudicare cibos, hunc vel illum, licet pernicioſum & inſuetum appetere, poſthabito & neglecto omni periculo, nõ ventriculi, ſed cerebri vitio accidit. Videmus puerulos, qui mente & judicio nondũ valent, ſimili ferè modo res inedules ſaluberrimis cibis preferre & devorare; quod certè non ventriculi, ſed cerebri malè dijudicantis vitio accidere certũ eſt. Quapropter inordinatus ille & præternaturalis prægnantium appetitus, ſi non ex cerebro ſolo, à pravis & corruptis uteri exhalationibus infeſtato proficiſcitur, negari tamen nequit, quin unà cum ventriculo ipſum quoq; cerebrum malè afficiatur, ut non minùs cerebro, quàm ventriculo per accommodata remedia, quantum imprægnatio permittit, ſit proſpiciendum.

QUÆSTIO LII.

An in porrigine cuticula in ſquamulas abeat? C.N.

INter affectus cutem deformantes numeratur porrigo, quam Furfures vocant, eò quòd ex levi cuticulæ attritu & confricatione, ea præſertim in parte ubi pili naſcuntur, ſquamulæ tenues & furfuraceæ, furfuribus tritici tenuitate & candore non abſimiles, decidunt: Unde Serenus,

Cùm caput immenſa pexum porrigine ningit,
Copia farris uti, frendentibus edita ſaxis.

Quæritur autem, an furfures iſti ſint de ſubſtantia cuticulæ, quam epidermidem, ſummam vel ultimam cutem, vel cutis ſuperficiem vocant, vel humoris cujusdam ad extremam cutem delati, ibique expanſi & exſiccati, comminutio.

Gordonius de paſſ. cap. part. 2. c. 5. inquit, furfures fieri à vaporibus cuticulam in ſquamulas convertentibus. Idem ſentit Rondeletius c. 11. de aff. cap. furfures generari, quando humor ſeroſus mordax ſub cute & cuticula latens, cuticulam rodit, ſcindit & à ſubjecta cute divellit, unde tenues & furfuraceæ ſquamulæ excitantur. Idem ſentit Platerus cap. 1. de cutis deform. Furfures, inquit, generantur, quando cuticula à vera cute abſcedit, finditur & in ſquamulas reſolvitur. Galenus hac in parte obſcurior eſſe videtur, nam com. 3. de vict. ac. tex. 13. inquit, furfures ab excrementis caput petentibus generari; non tamen addit, an

excrementa illa ſint cauſa efficiens vel materialis.

Ægineta verò expreſsè docet lib. & c.3. furfures ſine exulceratione generari. Ejusdem ſententiæ eſt Actuarius lib. 2. meth. cap. 5. dum aſſerit, furfures à pravo humore ſurſum elato, & extra cuticulam expanſo oriri, quaſi dicat, humorem eſſe cauſam ſquamularum materialem, in minutiſſimas particulas comminutam. Et ſanè Æginetæ & Actuarii ſententiam veriſimiliorem eſſe, inde convincitur, quia cuticula, licet ad corporis partes non pertineat, ſed veræ cutis ſit excrementum, ut docet Ariſtot. lib.3. hiſt. an. cap.11. & abraſa millies iterum ſuccreſcat, conſtat tamen, hanc ipſam cuticulam ſemel abraſam vix per biduum vel quatriduum etiam regenerari, cùm tamen furfures probè abraſi, in uno die bis vel ter regenerentur, ut neceſſum ſit ſtatuere, aliam eſſe furfurum materiam à ſubſtantia cuticulæ diverſam. Talis autem materia eſt vaporoſa, ab interioribus partibus ad cuticulam protruſa, quò ſimul ac pervenit, expanditur, inareſcit, & in furfures per confricationem comminuitur. Similem pelliculam generari videmus in pulticulis, in quibus vapores emergunt, qui in exteriore pultis ſuperficie uniuntur & pelliculam conſtituunt, quâ abrasâ, nova ſubinde ſubnaſcitur, quamdiu aliquis calor in pulte continetur.

QUÆSTIO LIII.

An in morbis minùs periclitentur, quorum morbi ſunt congeneres ætati vel temperamento? C.N.

HIppocrates aph. 34. l. 2. inquit, In morbis minùs periclitantur, quorum vel naturæ, vel ætati, vel habitui, vel tempori, morbus magis familiaris eſt, quàm quibus nulli horum cognatus vel familiaris eſt.

Licet perſpicua ſit hujus Aphoriſmi ſententia; de veritate tamen non immeritò dubitatur. Inquiramus igitur, an morbi, qui alicujus ætati, vel temperamento, vel tempori ſunt congeneres, minùs periculi habeant.

Quòd ſi ab una parte conſideremus morbum, qui nihil aliud eſt, quàm lapſus ſeu receſſus à naturali ſtatu ad præternaturalem; ſequetur, quantò major receſſus aliquis factus fuerit, tantò majus imminere periculum; & vice verſâ. E. G. ſi juvenis aliquis bilioſus, æſtate media, lethargo, vel paralyſi à pituitoſa materia excitatâ laboret: vel ſi ſenex aliquis tẽperamenti phlegmatici, in hyeme corripiatur pleuritide vel anginâ; uterque periculosè laborabit, quia utrobique magnus receſſus à naturali ſtatu factus eſt. Sic vice verſa, quando juvenis aliquis calidæ naturæ, calidis cibis aſſuetus poſt gravia corporis exercitia, in æſtate incidat in febrẽ ardentem, vel fœmina aliqua ſexagenaria, tẽperamenti frigidi & humidi, incidat in apoplexiã vel epilepſiã; utrobiq; ſecundùm hunc aph. nullũ

erit periculum, quia in exemplo juvenis, minor factus eſt caloris exceſſus, quàm ſi febris illa ardens vetulam aliquam corripuiſſet. Pariter minùs periculi erit in altero caſu, quia major eſt ſimilitudo & cognatio inter frigidam & humidam fœminam atq; apoplexiam vel epilepſiam, ab humore frigido ortam, quàm inter hosce morbos & juvenem aliquem calidæ naturæ.

Attamen quotidiana experientia docet, febres ardentes juvenibus eſſe exitioſas, & apoplexiam aliosq; morbos ab excrementitia humiditate ortos, plus periculi adferre ſenibus, quàm aliis ætatibus & temperaturis. Sic raucedo ſenem phlegmaticum infeſtans, licet ratione ætatis, temperamenti & ſimilium circumſtantiarum ſeni ſit congener & familiaris, ac proinde periculo vacare debeat; uſque adeò tamen eſt exitioſa, ut Hippocrates in Aph. 40. lib. 2. Raucedinem in ſene incurabilem eſſe dixerit. Idem intellexit Aphrod. qui Æthiopes populos calidiſſ. febre ardente correptos, plerumque mori aſſerit, licet caloris Æthiopum lapſus in calorem febrilem minor ſit, quàm alterius cujusdam naturæ frigidioris. Sic etiam febris quartana tempore autumnali facta, licet analogiam habeat cum tempore iſto melancholico, ac proinde minor eſſe debeat; ipſe tamen Hippocrates quartanas autumnales longas eſſe docet, Aphor. 25. lib. citat.

Hanc difficultatem ut interpretes tollerent; dixerunt, morbos congeneres naturæ, ætati, tempori, &c. periculo vacare, ſi modò cætera quoque paria ſint, magnitudo ſcilicet cauſæ, ſymptomatum

im vehementia & ſimilia. Sed quàm infirma ſit æc reſponſio, apparebit facilè. Ponamus enim & enem & juvenem laborare raucedine, & in utroue libram quaſi humoris phlegmatici raucediem excitaſſe: eadem quoque adeſſe ſymptoma-a; quis tamen non videt, plus periculi imminere eni calore exhauſto, quàm juveni calore abunlanti? Malim ergo reſpondere, hunc aph. Hippo-ratis ex eorum numero eſſe, quæ veritatem habent aliquando, non tamen ſemper.

QUÆSTIO LIV.

An cotonea mala urinam potenter moveant? C. N.

MIch. Paſchalius cap. 50. cur. morb. autor eſt, Alphonſum regem Neapol. ex frequenti cotoneorum eſu in diabetem, hoc eſt, vehementem & involuntarium urinæ profluvium incidiſſe. Huic forſan opinioni occaſionem ſuppeditavit Dioſcorides; quippe qui lib. 1. cotoneis aſcribit facultatem urinam promovendi, alvumq́; ſupprimendi. E contrario Galenus lib. 6. ſan. conſ. cap. 15. & lib. de alim. fac. cotoneis manifeſtam vim aſtringendi tribuit. Idem docet Actuarius lib. de ſpir. an. nut. cap. 6. & Rhaſis in collig. Hinc etiam Meſue rectè docet, cotonea vomitum compeſcere. Et ſanè delirus eſſe videtur, parumq́; in ſimpliciũ viribus cognoſcendis verſatus, qui aſtringendi facultatem in acerbo cotoneorum ſapore non agnoſcit. Dioſcoridem igitur graviſſi-

mum rei herbariæ ſcriptorem à contradictione liberare videtur Aëtius, qui inter cotonea parva & magna diſtinguit. Parva Dioſcoridi odorata ſunt & acerba & proinde aſtringunt, dyſenteriæ, vomitioni, omnibusque fluxibus ſupprimendis & cohibendis convenientiſſima. Magna verò Cotonea Dioſcoridi & Galeno Struthia dicta (licet Plinius manifeſto errore ſtruthia vocaverit parva) nihil vel admodum parum acerbitatis, ſed dulcedinis non nihil habent, præſertim ſi ad perfectam maturitatem pervenerint, ac proinde ad movendam urinam ſi cum melle vel ſaccharo coquantur, aliquid conferunt.

Communiter igitur omnia cotonea, ut docet Dodonæus, Matthiolus & præſtantiſſimi quique herbarii, adſtringunt. Imò ſi mel cotoneis ſit affuſum, adſtringendi facultatem acquirit, ut tradit Dioſcorides, aliter de cotoneis non ſentiendum, quàm quòd potenter adſtringant. Unde apparet, Paſchalium oſcitanter Dioſcoridem inſpexiſſe, & de cognoſcendis ſimplicium rerum qualitatibus minùs ſolicitum fuiſſe. Quàm familiaris ſit hæc oſcitantia vulgaribus rei herbariæ ſcriptoribus, & pluribus aliis, qui extra profeſſionis ſuæ limites, ſingulari quâdam temeritate & audaciâ, contra expreſſum Dei verbum, contraque benè conſtitutarum Rerumpubl. politiam abrepti, medicinam faciendi licentiam ſibi arrogant, luce meridianâ clarius innoteſcet, ſi paucos quosdam ex innumeris aliis erroribus, à Colero, Babſtio & horum ſimilibus compilatoribus commiſſis, huc transtulero. Quis verò omnium eſt, qui vini ſublimati

nati ſummam calefaciendi facultatem ignoret? Colerus tamen vinum illud, anginâ, id eſt, faucium inflammatione laborantibus commendare fuit auſus. Unde patet, virum bonum vel morbi iſtius conditionem vel vini ſublimati facultatem, quod vix cogitare licet, ignoraſſe. Ejusdem generis eſt, quòd in febre ardente, quam cauſum vocant, mithridatium antidotum calidiſſimam exhibet; & tamen ſimul calida fugienda eſſe præcipit, unde non minùs eluceſcit, mithridatii qualitates ipſi incognitas eſſe, quas tamen inſigniter calidas eſſe non ſolùm ex ſpeciebus compoſitionem iſtam ingredientibus, ſed effectis quoque ab omnibus rationalibus Medicis obſervatis, evincitur. A tempore ſiquidem Galeni in hunc uſque diem ad omnes capitis & ventriculi affectus frigidos, ſuppreſſionem menſtruorum, fœtumq; mortuum expellendum, omniaque mala muliebria ex frigiditate nata, mithridatium feliciter fuit adminiſtratum, & tamen Colerus in febribus ardentiſſimis mithridatium propinare & commendare fuit auſus. Ejusdem farinæ eſt, quòd balneum aluminoſum calculum veſicæ frangere docet. Virgæ aureæ vim aperiendi & penetrandi tribuit, quam tonſores etiam plurimum adſtringere norũt. Corroſivum illum ſpiritum vitrioli, colicâ paſſione laborantibus exhibet: dulcia obſtruere, pulverem glandium calculum comminuere docet, cùm tamen ſui mox oblitus, glandes ad compeſcendam & ſupprimendam dyſenteriam non minùs commendet. Simili errore nucleos meſpilorum manifeſtè adſtringentes, Ictericis commendat. Sed transeant errores iſti cum ſexcentis ſimilibus;

pietatem & religionem ſanctiſſimorum illorum virorum, ſuperſtitionem inquam, viro bono, ne dicam graviſſimo Theologo indignam ſpectemus. Cyanus, inquit Colerus, in die corporis Chriſti intra horam duodecimam & primam collectus, ſanguinem ex vulneribus promanantem compeſcit. Raphanus ſingulis diebus Veneris asſumptus calculum pellit. Tempore vernali conſpectâ primâ hirundine, ſub pedis planta carbo eruitur, inquit Colerus, cui mirabilis vis eſt contra epilepſiam. Hæc ſuperſtitio ferenda forſan eſſet; quòd verò Gabelkoverus eò audaciæ proceſſit, ut mentiri auſus fuerit, Illuſtriſſimum Principem Guilhelmum Haſſiæ Landgravium, in omni literarum ſtudio verſatiſſimum principem omnisq; ſuperſtitionis ac impietatis oſorem acerrimum, benefactorem meum p. recordationis clementiſſimum, tali carbone epilepticos ſuos liberos curaſſe; cùm tamen mihi liquidò conſtet, illos tali morbo nunquam laboraſſe; nullam certè excuſationem meretur. Ad hanc ſuperſtitionis claſſem refero, quòd Babſtius fontes exſiccatos, cantu puellæ intactæ reſtitui, & adſtrictam hominis alvum, per crus humanum, ſtercore humano repletum & in aqua coctum, tam diu in naturali officio contineri ſcribit, quàm diu aqua illa ebullit. Sed paginas pluribus hujus generis ſordibus & nugis commaculare, propoſitum meum non admittit. Sufficiat demonſtraſſe, compilatores iſtos id potiùs agere, ut quidvis excerpant, & ſine judicio in chartas ſuas conjiciant, quàm ut rerum naturali-

turalium qualitates ex ſuis fontibus inveſtigent: Hoc enim ſi fieret, minus malorum foret.

QUÆSTIO LV.

An allium flatus gignat? C. N.

HIppocrates comm. 4. de vict. ac. tex. 90. nec nō 6. Epid. ſect. 8. tex. 33. Plinius itē l. 20. c. 6. & Ruellius l. 2. de nat. ſtirp. cap. 85. allium flatus generare docent. Dioſcorides verò, Galen. & Aëtius, allium contra flatus præſtantiſſimum eſſe remedium literis prodiderunt. Hippocratis, Plinii & Ruellii ſententiam confirmant cæpæ, quas Ægineta lib. 1. c. 76. & Oribaſius lib. 1. ſynop cap. 18. ſub uno eodemq; capitulo ad generationem flatuum & vomitiones conferre docent. Huc facit, quod communiter experimur, poſt comeſtionem cæparum & alliorum frequentiſſimos, excitatis flatibus, ructus fieri.

Verùm, cùm clariſſima ſit Galeni doctrina lib. 3. de ſympt. cauſis c. 2. flatus fieri à ſuccis pituitoſis, vel cibis deficientem calorem habentibus; allium autem & cæpæ nec deficientem calorem habeant, ſed manifeſtè excedentem; nec pituitoſum humorem gignant, ſed eum, qui totâ naturâ pituitoſo humori repugnet; ſequetur, abſurdā eſſe Hippocratis, Plinii & Ruellii ſententiam. Galenus, ut Hippocratis auctoritatē in hac controverſia tueretur, in com. de vict. acut. inquit, librū iſtum non eſſe genuinum Hippocratis. Idē de textu qui habetur 6. Epid. reſponderi poteſt, cùm. n. utrobiq; multa legantur, quæ nec cum phraſi, nec doctrina

Hippocratica conſentiant,fit ut libri iſti,vel Hippocratis filio vel alicui ex diſcipulis adſcribantur. Ignorandum tamen non eſt,licet allium & cæpæ per ſe & ſuâ naturâ flatus non gignant,ex accidẽti tamen,quando in corpus crudo phlegmate refertum ingeruntur,eo ipſo dum phlegmata attenuare & reſolvere nituntur,flatus quoq; exſuſcitant; quos ſicut accidentaliter exſuſcitant,ſic per ſe etiam ſuâq; naturâ,innati caloris beneficio disſipant & conſumunt.

QUÆSTIO LVI.

An allium vermes gignat? C.N.

CRantzius lib.3.hiſt.cap.3.memoriæ tradidit, Arnolphum Rom.Imp.ex crebro allii eſu in verminationẽ incidiſſe; corporeq; illius poſt obitum diſſecto, plurimos vermes inventos fuiſſe. Hanc hiſtoriam comprobare videtur, quod annotavit Wierus l.3.c.15.de præſt.dęm.quòd in Ungaria circa flumen Thayſe inveniantur homines, in quorum corporibus lutræ & lacertæ naſcantur. Conſtat autem,Ungaricã gentem allii eſum quotidiè in deliciis habere.Dioſcor. verò lib.2. allium ad necandos vermes & pediculos commendat. Galen.etiam lib.11. de ſimpl. med. fac. hirundines imprudenter deglutitas eſu allii enecandas& expellendas eſſe docet.Aëtius quoq; l.3.ſerm.c56.& ex recentioribus plerique omnes, allium contra omnis generis vermes ſummoperè commendant. Hinc Cardanus l.2.c.42. ſan. conſ. inquit, Inallio nulla noxa,ſed utilitas manifeſta: flatus diſcutit, urinas movet, ſiccat, venena expellit, vermes occidit,

cidit, & humores pravos corrigit. Exiſtimamus igitur, Cranzium eodem modo deceptum, quo vulgares rerumq; naturalium imperiti plerunque decipiuntur; qui, cùm rerum naturalium facultates minimè intelligant, effecta iis rebus haud raro aſſignant, quarum facultatibus vel manifeſtè adverſantur, vel nullâ ratione illis tribui poſſunt. exempli gratiâ quando nuclei meſpilorum, oculi cancrorum & ſimilia terreſtria & adſtringentia, calculum comminuere & expellere, novem pediculi Icterum: ſeptem murium ſtercora, alvum potentiùs ullis clyſteribus ſolvere, puerili & ridendo errore à naſutulis nonnullis creduntur.

QUÆSTIO LVII.

An mel & ſaccharum vermes gignant? C. N.

MEl & ſaccharum puerulis exhibita plurimùm ad vermium generationem conferre, non ſolùm mulierculárum turba, ſed etiam Medicorum nonnulli perſuaſum ſibi habent. Hoc ipſum dulcia ceraſa atteſtari videntur, in quibus vermiculi magnâ copiâ generari ſolent. Quo forſan nonnulli commoti, dulcedinem matrem putredinis appellârunt. Verùm, ſi generationẽ vermium diligenter conſideremus; apparebit, nihil magis melle & ſaccharo generationem illorum impedire. Conſtat apud omnes, vermes ex craſſa, cruda & pituitoſa materia putredini obnoxia generari. Mel verò & ſaccharum,

oleum & vinum, omnium aliarum rerum minimè computreſcunt; quemadmodum Galenus acerrimus naturæ indagator li.3. de ſimpl. medic. facult. c.15. teſtatum reliquit. Quin imò mel & ſaccharum putredini uſq; adeò reſiſtunt, ut quęcunq; lõgo tempore à putredine & corruptione tueri ac conſervare volumus, ſaccharo & melle condiamus. Hinc Babylonii & Aſſyrii mortuos in melle ſervabant, ut teſtatur Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 2. Xenophon etiam lib. 5. de rebus Græcorum prodidit, Ageſipolim Spartiatem mortuũ melle conditum, per longum tempus à corruptione & putredine vindicatum, tandemque Lacedæmonem exportatum fuiſſe. Similiter Hippocentaurum, & Alexandrum magnum conditurâ mellis putredinem non ſenſiſſe, tradit Plin. 22. & Cæl. Rhod. lib. 28. c. 27. Levinus Lemnius etiam in libro, quem de occultis naturæ miraculis edidit, non ſolùm amara, ſed dulcia etiam vermes occidere prodidit, adeoque uvas paſſulas ad necandos vermes juvare aſſerit. Hujus rei ratio ex variis Galeni textibus, potiſſimùm verò tex. 11. com. 3. de vict. acut. Item lib. 1. de ſimpl. medic. facult. c. 14. dari poteſt: quòd nimirum mel & ſaccharum in temperatis corporibus optimum generant ſanguinem, in calidis verò corporibus in bilem amaram vertuntur. Jam verò ex lib. 12. Tralliani conſtat, ex optimo ſanguine vermes generari non poſſe. Bilis etiam non ſolùm ad generationem vermium eſt ineptiſſima, ſed etiam propter amaritudinem vermes interimit. Quapropter Ægineta lib. 1. cap. 5. rejectâ vanâ illâ ſolicitudine, mel tanquam primum alimentum.

tum puerulis exhibendum eſſe docet. Ad exemplum verò ceraſorum quod attinet, dupliciter reſpondetur: primùm, maximam eſſe differentiam inter ceraſa, mel & ſaccharum. Ceraſa enim, ut & alia plura dulcia, dulcedinem ſuam in nimia humiditate fundatam habent: ſacchari verò & mellis dulcedo in majori ſiccitate poſita eſt, ac proinde nimia potiùs humiditas, quàm dulcedo, vermium generationi occaſionem præbet. Deinde diſtinguendum inter perfectam & imperfectam dulcedinem. Ceraſa, lac, & alia hujus generis, quæ corruptioni vermiumq; generationi expoſita ſunt, imperfectam: mel verò & ſaccharum, perfectiſſimam dulcedinem obtinent, ut docet Gal. lib. 4. de ſimpl. med. facult. cap. 17. Denique in melle & ſaccharo levis quædam acrimonia intenſiorq ue calor ineſt, cujus beneficio à putredine magis magisque defenduntur. Hinc fit, ut ceraſa, lac, piſces multaq; ſimilia gignendis vermibus materiam ſuppeditent, mel verò & ſaccharum ab omni corruptione & putredine præſervent.

QUÆSTIO LVIII.

An Abſinthium in primo gradu ſit calidum? C.N.

QUanquam variæ ſint abſinthii ſpecies, circa vulgare tamen abſinthium non una cõtroverſia moveri poteſt. Primùm enim, licet omnia amara ſecundùm Gal. in genere ſint calida; quæritur tamen de gradu caloris. Galen. l. 6. ſimpl. non

exprimit in quo gradu abſinthium ſit calidum, Oribaſius tamen & Ægineta lib. 7. expreſsè docēt, abſinthium non excedere primum caliditatis gradum. Huic ſentētiæ ſubſcribit Montanus in conſ. 264. pro quodam hydropico conſcripto. Fernelius verò l. 4. Therapeutico c. 2. abſinthium haud obſcurè ad tertium calidorum ordinem referre videtur. Licet enim certum caloris gradum ei non conſtituat, poſtquam tamē de abſinthio egit, ſtatim hæc verba ſubjicit, Quæcunque verò tertium caloris gradum ſuperant, ut colocynthis, ariſtolochia, &c. illa vehementer exaſperant, &c. ſic in ſeq. cap. inquit, Abſinthium quatenus amarum, eatenus calidum, licet non extremè, quaſi dicat, non in quarto ſed in tertio ordine. Hanc Fernelii ſententiam recipiendam eſſe arbitror.

Deinde quæritur, cur aqua abſinthii deſtillata, ſit dulcis, ipſa verò planta amara? Matthiolus reſpondet, hoc ideò fieri, quia balneum, in quo abſinthium deſtillatur, ſuâ humiditate tenuiores plantarum partes retinet & cohibet, ut in vaporem verti non poſſint, neque ſurſum aſcendere. Hinc conſulit idem autor, ut abſinthium ad conſervandum proprium ſaporem, per organa vitrea, ſine balneo deſtilletur, quaſi iſtâ ratione non ſolùm craſſæ & terreſtres partes, ſed tenuiores etiam in vaporem & guttulas reſolvantur. Sed pace tanti ſcriptoris, exiſtimo hanc ſententiam duobus potiſſimum modis abſurdam. Primùm, quia Matthiolus putat, partes plantarum tenuiores difficiliùs in vapores verti, craſſas verò faciliùs; cùm tamen contrarium, omnium judicio ſit veriſſimum,

mum. Deinde, quia exiſtimat, amaritudinem abſinthii non in craſſioribus & terreſtribus, ſed in tenuioribus partibus conſiſtere. Cùm tamen Gal. lib. 7. ſimp. Med. in capite de abrotono, & alibi paſſim, diſertis verbis doceat, abſinthium plus adſtringere, quàm abrotonum, quia in abſinthio major amaritudo, quæ non in tenuibus ſed in craſſioribus partibus conſiſtat.

Præterea cùm caliditas abſinthii ab ipſo amarore dependeat, & verò amaroris ſubjectum ſit craſſior plantæ pars; haud aſſequor, quàm rectè dixerit Montanus loc. citat. ſuccum abſinthii plus calefacere quàm reliquam craſſam plantæ partem.

Denique idem Montanus Galeni aliorumque Medicorum placita evertit; ubi aſſerit, amara non penetrare, ſed partibus adhærere, quæ ſententia levior eſt, quàm ut refutari debeat.

QUÆSTIO LIX.

An Althea calculum frangat?

C. N.

ALthea vulgaris notitiæ planta, cujus partes omnes, folia ſcilicet, ſemina & radix vires habent minimè contemnendas, quas tamen Oribaſius & Aëtius minùs cognoviſſe videntur. Omnes enim hujus plantæ partes, teſte Galeno, emolliendi, humectandi, relaxandi & maturandi vires habent. Aëtius tamen & Oribaſius facultatem exſiccandi & detergẽdi huic plantæ, inprimis

verò radici tribuunt, adeò ut vitiligines etiam detergat & calculum frangat atque expellat, cùm tamen notorium & tonſoribus etiam cognitum ſit, maximam radici facultatem emolliendi, relaxandi & maturandi ineſſe: Unde nullum ferè cataplaſma ad maturãdos abſceſſus, omnisq; generis tumores paratur, cui radices Altheæ non ſint additæ. Interim haud negatur, ad expellẽdum calculum, per accidens conferre Altheam, non quidem frangendo vel propulſando, ſed vias potiùs, per quas calculo eſt tranſeundum, relaxando & lubricas faciendo, ut minori cum labore & faciliori cum conatu à lithontripis calculus expellatur, ſi enim viæ ſunt lubricæ, faciliùs calculus excluditur.

Hinc Fernelius non ſine cauſa Syrupum ex radicibus Altheæ ad promovendum calculum leniendosque & demulcendos illius dolores præparavit. Hinc non minùs patet, in quanto verſentur errore, qui vel corpore minùs repurgato, vel viis urinariis minùs ad transmittendum calculum relaxatis & patefactis, ad fortiſſima quæque diuretica & lithontripa, ſpiritum ſcilicet vini, citri, vitrioli, Juniperi, Terebinthinæ, &c. transeunt. Præterquam enim quod omnis generis impuritates, ipſosque lapillos, in anguſtas urinæ vias præcipitant & compingunt, unde omnia mala augentur, accedit quod renes etiã magis magisque accenduntur & inflammantur, qui ſic accenſi, totius corporis ſuperfluitates ad ſe pertrahunt; caloris ſiquidem proprium eſt attrahere,

& ſic

& ſic occaſio datur, ut excluſo uno atque altero lapillo plures poſtea ſuccreſcant. Quicunq; igitur vel mitiora exhibent, vel fortiora illa cum Syr. Altheæ, vel ſimilibus relaxantibus, pręmiſſis præmittendis, permiſcent, faciliorem & tutiorem viam ad expellendum calculum ingrediuntur.

QUÆSTIO LX.

An cicuta ſit venenum? C. N.

CIcuta vulgaris planta, à myrrhide parum, à petroſelino plus differens, ex ſententia Dioſcoridis & Galeni frigidæ eſt qualitatis in quarto gradu. Hinc evidenter liquet, codicem Averrhois eſſe mendoſum, quando lib. 1. collig. cicutam calidam & ſiccam in ordine tertio conſtituit. Rectè igitur nonnulli in codice Averrhois pro cicuta legendum putant Rutam.

Alii verò cicutam ad præſentiſſima venena referunt. Ex horum numero occurrit Oribaſius: qui lib. 11. collect. cicutam inter venena lethalia refert. Strabo quoque prodidit, ſexagenarios in inſula Ceo, ex receptâ iſtius inſulæ conſuetudine, vino ebrios, ſuperſtitioſo quodam religionis cultu, cicutam haurire, ut præceleri morte abripiantur. Hiſce ſubſcribit Tragus, Athenienſes, facinoroſos ſucco cicutæ, ſustuliſſe aſſerens. Cardanus quoque in lib. ſubtil. refert, ad capitis ſupplicium damnatos, olim ſucco cicutæ extinctos eſſe. Hanc ſententiā Scaliger exerc. 150. exemplo Franciſci Trapolini, viri ſui ſæculi Phœnicis, confirmat; quem

ancilla folia cicutæ pro foliis petroſelini, in cibum ei afferens, de medio ſuſtulit. Ejusdem herbæ ſucco Socratem necatum fuiſſe, hiſtorici referunt.

Verùm Aëtius lib.1.ſer.1.& Ægineta lib.5.c.41. cicutam inter venena non recenſent, ſed Dioſcoridis atque Galeni ſententiam amplectuntur, cicutam ad ſummum frigiditatis gradũ referendo. Idem ex lib.28. Cælius Rhodigin.cap.6.evincitur, ubi refert, Hierophantas Athenienſiũ, ſorbitione cicutæ, coëundi duntaxat libidinem, ut in Pontificum ordinem reciperentur, absque vitæ diſcrimine ſibi ademiſſe. Anaxilaus verò, ut docet Plinius lib.25.naturalis hiſt.cap.13. ſorbitionis cicutæ nullam facit mentionem, ſed illitionem pubertatis tempore circa partes genitales factam, facultatem generandi adimere tradidit.

Ad componendam hanc controverſiam, diſtinguendum inter venena propriè dicta, & extremas rerum qualitates.

Venena propriè dicta nullius qualitatis vi, ſed indicibili proprietate enecant. Reliqua quæcunq; interimunt, id extremis qualitatibus perficiunt. Cùm igitur cicuta extremè ſit frigida, fit ut extrinſecus quidem, cum moderamine uſurpata, inflammationibus comprimendis proſit, intrinſecus verò frequenter, niſi rerum calidarum uſu ſubveniatur, interimat. Hoc ipſum Cęl.loc.cit.annotare haud prætermiſit, inquiens, quemadmodum venenum homini, ſic vinum cicutæ adverſatur. Ex quibus Cęlii verbis nova oritur difficultas. Cùm enim Suidas dixerit, ſexagenarios Ceones ebrios, cicutam haurire, ut celeri morte intereant, haud

haud video, quomodo vinum cicutæ reſiſtere, ejusque vires enervare poſſit. Dicendum igitur, Ceones non vino, ſed alio potus genere ebrios factos, cicutam hauſiſſe, vel cicutam in nimis magnâ & immedicabili quantitate aſſumpſiſſe.

Modum interimendi quod attinet, non ſine causâ Scaliger caſtigat Cardanum, eò quòd cicutam modò reſolvendo, modò convellendo, mox ſine dolore interimendo operari prodidit. Quæcunque enim reſolvendo operantur, illa calida ſunt; quæ verò ſtupefaciendo, illa, ſi propriè loqui velimus, frigida ſint neceſſe eſt. Sed hanc verborum contentionem ab hoc inſtituto alienam, iis, qui de nominibus potiùs, quàm rebus ſunt ſoliciti, lubens relinquo. Interim tamen cùm abundè conſtet, eos, qui ab aëre congelati moriuntur, ſine doloris ſenſu exſpirare, & cicutã vehementer frigidam eſſe; dubium non eſt, quin ſtupefaciendo mortem absque dolore inferat. Hoc ipſum comprobant Matthiolus & Scaliger, eò quòd aſini in Hetruria poſt depaſtam cicutam in profundiſſimum ſomnum incidunt, tantoque ſtupore capiuntur, ut non ſolùm ſtupidi, ſed planè mortui videantur. Id quod aliquando ruſticos ejus rei ignaros fefellit. Nam dum aſinis, quos mortuos credebant, corium ad uſum detraherent, accidit, quòd in medio quaſi opere aſini non ſine magno excoriantium terrore & aſtantium riſu, experrecti ſunt.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON ESTABLISHED 1773

QUÆSTIO LXI.

An Nerium ſit intra corpus ſumendum? C. N.

NErium, quod Græci Rododenteron, Apulejus Roſam auream, alii laurum ſylveſtrem vocant, planta eſt elegantiſſima, perpetuâ comâ virens. An hujus plantæ folia vel flores in compoſitionem Esdræ ſumendi ſint, Fuchſius & alii disputant. Ego totam plantam venenatam, & propterea ex numero ſimplicium, quæ Esdræ compoſitionem ingrediuntur, exterminandam, & cũ Fuchſio lib. 2. de comp. Med. vincetoxicum ſubſtituendum eſſe arbitror. Quanquam enim Dioſcorides tradat, Nerium ſolis pecoribus peſtiferum, hominibus verò contra ictus ſcorpionum ſalubre eſſe: Galenus tamen lib. 8. ſimp. clariſſimis verbis teſtatur, Nerium occidere & homines & pecudes. Galeni quoque ſententiæ ſubſcribunt Oribaſ. libr. 15. Ægin. libr. 7. & Aët. lib. 1. Cordus hanc controverſiam ſic dirimere conatur, quaſi Nerium intra corpus ſumptum occîdat, extrinſecus verò impoſitum auxilietur. Verùm cùm Dioſcorides expreſsè dicat, ſi cum vino ſumatur, prodeſſe contra venena, ideo Cordi conciliatio locum nullum habet.

Matthiolus igitur aliter ſentit, multa ſcil. ſimplicia hominibus & pecudibus ſanis adverſari, ægrotantibus verò venenoque infectis opitulari.

Alii ſic reſpondent: Nerium nudè exhibitum per-

perniciosſum eſſe, cum Ruta verò ſalubre. Ego verò talia deleteria quocunque etiam modo correcta, exhibere nolim; cùm nulla iſtius inſtituti neceſſitas appareat. Idem ſentiendum putaverim de nuce vomica, quæ ſine ulla ratione ingreditur in compoſitionem ovi aurei. Denique hoc loco notandum, Tabernæmontanum in textu Dioſcoridis crimen falſi cõmittere, dum inquit, Nerium ex ſententia Dioſcoridis, ſi intra corpus uſurpetur, & homines & pecudes occidere, id quod Galenus quidem ſcripſit, Dioſcorides verò ne ſomniavit quidem.

QUÆSTIO LXII.

An meſpila calculum frangant? C. N.

TAntum abeſt, ut externę plantarũ, aliarumq; rerum naturalium ſignaturæ, ab otioſis & ſuperſtitioſis hominibus confictæ, ad rerum naturales facultates & qualitates inveniendas eos deducant, vel lucis aliquid afferant, ut potiùs in denſiſſimas tenebras, & errores graviſſimos incautos præcipitent. Ex horum numero nunc occurrunt meſpilorum nuclei, quos Tragus aliiq; non pauci ad ſignaturam potiùs fallaciſſimam, quàm ad ſaporem & ſubſtantiam illorũ reſpicientes, ad comminuendum expellendumque calculum mirificè commendant. Cùm tamen Galenus lib. 7. ſimp. & 2. de alim. fac. c. 25. meſpila adeò acerba eſſe dixerit, ut edi vix poſſint, ventremque plus ipſis ſorbis adſtringere & coërcere aſſerat. Mirũ igitur quod

Matthiolus, qui plantarum vires & facultates de verbo ad verbum ex Galeni monumentis deſcribere ſolet,& meſpila quoq; ad ſupprimendũ vomitum, menſtruorum immoderatorum fluxum cohibendũ,aliaq; profluvia ſiſtenda commendat, nihilominus tamen contra rerum naturaliũ poſſibilitatem affirmare non veretur, meſpilorum nucleos ſeu lapillos, non minori acerbitate & ſubſtantiâ terreſtri præditos,calculum expellere. At, inquis, Tragus & alii pulverem nucleorũ meſpilorum in vino exhibent,in quo petroſelinum decoctũ ſit,quæ duo diuretica ſunt & calculũ pellentia. Fateor hoc;quæſiverim verò,in quem finẽ,quóve rationali Medico autore, adſtringentes nuclei cum vino & petroſelino diuretico & lithontripo permiſceantur? Certè irrationalis & præpoſtera eſt iſta rerum confuſio.

QUÆSTIO LXIII.

An lentes in variolis uſurpandæ? C.A.

CUm ex Dioſcoridis ſententiâ lentes craſſum & melancholicum ſuccũ gignant, alvumq; adſtringant, ac proinde Galenus lentiũ uſum disſuadeat, iis qui pravis humoribus abundant; non immeritò quæri poſſet, cur decoctum lentiũ tantoperè cõmendetur iis, qui variolis & morbillis laborant? Conſtat n. iſtos affectus à pravis & corruptis humoribus, ab uteri inquinamentis, hauſtis, provenire, ut potiùs inquinamenta iſta expurganda, quàm ſimili fomento enutrienda & conſervanda videantur.

Sed

Sed reſpondeo, inquinamenta iſta dum variolas & morbillos generant, ebullire & effervescere, ſanguinemque exagitare, ut neceſſe ſit ebullitioni frenum injicere, ſanguinisq; motum compeſcere. Hoc ipſum præſtant lentes, ac proinde non malo conſilio propinantur, tum maximè, quando primum decoctum effunditur, lentesq; ſecundâ vice bullire ſinuntur, vel ſi ipſa lentium ſubſtantia vel cremor propinetur. Hinc patet error eorum, qui omnib. tuſſiculoſis indifferenter ea uſurpant, quæ attenuandi & incidēdi vim habent, ut ſunt ſaccharum, mel, hyſſopus & ſimilia; cùm potiùs ad materiam ſit reſpiciendum, à qua tuſſis excitatur; quę ſi ſit acris & tenuis, à ſaccharo & melle abſtinendũ, ad amylum verò cum lacte radicem althęę in lacte coctam, & ſimilia transeundum, quæ materiam tenuem incraſſent, ejusq; motum inhibeant.

QUÆSTIO LXIV.

An petroſelinum ſit verum apium? C.A.

IN apii hiſtoria duo conſideranda; primùm, quænam planta verum apium ſit; alterum, an apium epilepſiam generet?

Primum quod attinet, quanquam rei herbariæ ſcriptores multis modis circa apium concertaverint, & adhuc concertent; exiſtimo tamen, verum apium nihil aliud eſſe, quàm petroſelinũ vulgare ſeu hortenſe & domeſticum, omnibus Germanis notiſſimum. Planta verò quæ in plerisq; officinis apii vicem ſupplet, nihil aliud eſt, quàm apium paluſtre, eleoſelinum dictum.

Sed hîc objiciat aliquis, ſi petroſelinũ noſtrum eſt verum apium antiquorum, quî fit, quòd in cibum quotidie quaſi innoxiè ſumitur, cùm tamen non ſolùm Chryſippus & Dionyſius, ut tradit Plin.lib.20.natural.hiſt.cap.11. Sed Avicenna quoque & Trallianus, nec non ex recentioribus Fernelius lib.5.patholog. referat, apii eſum epilepſiam generare, quem tamen effectum, Deo ſit laus, nemo hactenus obſervavit.

Ad hanc objectionem reſpondeo, vel fabuloſum eſſe quod Plinius refert, vel pernicioſum iſtũ effectum, non verò apio ſeu petroſelino, ſed apio paluſtri, id eſt, eleoſelino, tribuendum eſſe.

Sed huic reſponſioni refragatur Ægin.lib.7. qui apium hortenſe ſeu petroſelinum, & apium paluſtre easdem habere vires aſſerit. Ideoque non minùs petroſelinum, quàm eleoſelinum epilepſiam generare.

Reſpondeo, Æginetam loqui de provocatione urinæ, qua in re dicit, quòd easdem vires habeant.

QUÆSTIO LXV.

An arum noſtrum ſit arum veterum? C. A.

NOn ſine cauſa quæri poteſt, an planta, quæ communiter arum dicitur, ſit verum Dioſcoridis, Galeni aliorumq; veterum arum. Aëtius enim lib.1. memoriæ prodidit, arũ in cibum ſumi. Noſtrum verò arum adeò eſt urentis facultatis, ut citra inflammationem faucium & ventriculi edi vix poſſit.

Qua-

Quapropter haud video, cur Galenus arum ad primum caliditatis gradum retulerit. Si dixeris, diſtinguendum eſſe inter arum crudũ & coctum ſeu præparatum, id eſt, multoties dilutum; illud inedule, hoc verò edule eſſe: Galenus tamen huic reſponſioni obſtat, qui lib.11.de alim.fac. inquit, arum inſtar raporum edi poſſe; jam verò rapa etiam cruda & cocta comeduntur. Ergo & arum. Hunc nodum cùm videret Tragus, aliter illũ diſſolvere nequivit, quàm quòd dixit, Galenum, Aëtium, aliosque veteres non de aro, ſed de ariſaro intelligendos eſſe, eò quòd ariſarum minùs urat. Sed huic ſententiæ obſtat, quod Oribaſius lib.11. collect. contrarium docet, ariſarum videl. longè calidius acriusque eſſe.

Diſtinguendũ igitur putaverim inter diverſas regiones, cùm enim cæparum quædam, autore Theopraſto, in inſula Creta & Setania ſapore dulces, quædam etiam acres habeantur, quòd Matthiolus etiã de cæpis Italicis teſtatur; fieri ſimiliter poterit, ut arum in quibusdam Græciæ locis minùs acre, in aliis verò acerrimum naſcatur.

QUÆSTIO LXVI.

An Tabernæmontanus calamum aromaticum rectè deſcripſerit? C.N.

CAlamus aromaticus, inquit Dioſc. in Italia naſcitur, eſtq; optimus qui fulvus eſt, & frequentibus geniculis præditus, & qui aſſulosè in multa ſegmenta diffringitur. Hisce Plin. lib.12.

cap.22.addit, calamum odore præſtantiorem eſſe (ſcilicet junco odorato, cujus ibidem Plin. mentionem facit) quia ſtatim è longinquo invitat. Alii hunc odorem non calamo tribuunt, ſed Arabiæ regionis afflatum odoratum eſſe perhibent.

Hinc opinor factum, quod nonnulli exiſtimârunt, calamũ aromaticum Dioſcoridis, à calamo odorato, quem ſic vocant, nihil differre. Cùm verò noſter calamus odoratus, revera nullum calami ſeu arundinis, ſed iridis ſignum habeat; fateamur neceſſe eſt, calamum Dioſcoridis à noſtro calamo odorato ſeu iride potiùs plurimũ differre. Verùm in cenſura calami aromatici Dioſcoridis, dum Tabernæmontanus occultè in Braſſavolum & Fuchſium, nominatim verò in Cornarium invehitur, non ſolùm Cornario doctiſſ. viro, de patria mea & Academia Marpurgẽſi optimè merito injuriam infert, ſed etiam in errorem minimè reticendum incidit.

Primùm enim Cornario affingere conatur, quod vir bonus nunquam ſomniavit, quaſi vulgarem acorum ſeu iridem potiùs paluſtrem, quam pharmacopolæ electuarium Diacori componentes, vulgari quidem errore, ſed neſcio quo autore aſſumunt, pro vero calamo aromatico agnoverit, & ſic pharmacopolis errandi occaſionem dederit. Quanquam autem Cornarius in eo errore fuerit, quòd calamum aromaticũ Dioſcoridis à calamo noſtro odorato ſeu iride odorata non diſtinxerit; minimè tamen vulgarem iridem paluſtrem, radicem illam inodoram, acorũ verum ſeu calamum odoratum conſtituit, quod ei Tabernæmontanus affingere

affingere conatur. Cornarius ſiquidem textum Dioſcoridis exponens, expreſsè inquit, notas autem Dioſc.calamo aromatico tributas,partim ipſi calamo, id eſt,arundini,partim radici competere. Radici competit color fulvus; arundini verò ſeu calamo,geniculatio,& aſſuloſa confractio. Addit tamen,radicem noſtri acori ſeu calami albam eſſe, innuens,ſe loqui de acoro odorato,minimè verò de iride paluſtri; quippe quæ ruffa eſt, & absq; ullo aromatico odore. Interim Tabernæmontanus puerili errore vocem fulvus vertit fewerrot/& vocem aſſulatim, lange ſpreußlin oder ſpånlin / cùm tamen fulvus color ſit color luteus, hinc leones fulvi dicuntur,i.e.ſubflavi,minimè verò ruffi. Aſſulatim quoque aliquid frangere nihil aliud eſt, quàm in tabellas ſeu aſſerum figuram aliquid dividere,minimè verò in fruſtula acuta, aſpera & inæqualia dirimere. Hinc Plin.loc.cit.& Theoph. fracturæ ſpeciem repetentes, addunt, calamum aſſulatim frangi, non raphani vel iridis modo, hoc eſt, non in fruſtula inæqualia frangendo dividi.

QUÆSTIO LXVII.

An crocus crapulam arceat? C. N.

CIrca crocum unicum occurrit notatione dignum, nimirũ quod Dioſcorides memoriæ prodidit, crocum cum paſſo aſſumptum, crapulam arcere,& oculorum inflammationẽ repellere. Hinc forſan Fernelius lib.5.Therap. motus,cro-

cum lethargicos juvare dixit, quaſi caput in lethargo repletum inaniat.

Ab hac ſententia alienus eſſe videtur Galenus lib. 11. de med. loc. ubi inquit, crocum caput petere, mentemq; tentare. Hinc forſan factũ eſt, quòd idem Galenus compoſitionẽ Hieræ anteceſſorib. ſuis uſitatam correxit, & crocum in minore doſi adjecit, ne ſcil. cerebrum gravaretur. Quotidiana enim experientia teſtatur, crocum adeò copioſos vapores in caput efferre, ut profundum etiã ſoporem conciliet. Quod verò inflammationem oculorum repellere dicitur, id neq; ꝓpriè, neq; per ſe, ſed impropriè & per accidens admittendum. Quæ enim propriè & per ſe repellunt, illa frigida ſunt. Crocus autẽ non frigidæ, ſed calidæ facultatis, cujus caloris beneficio, tunicas oculorum reſolvit & perſpirabiles reddit, ut materia inflammationis commodiùs exhalet. Et ſic per accidens tollit inflammationes. Quapropter haud aſſequor, quomodo crocus lethargicis prodeſſe poſſit.

QUÆSTIO LXVIII.

An Tabernæmontanus eſulam cognoverit? C. N.

ESula, quæ & tithymalus nominatur, in plurimas ſpecies diſtinguitur, de quibus Herbarii conſulendi. Hoc loco circa eſulã, quam Tragus tithymalum, leptophyllũ; Tabernęmontanus, Noli me tangere, Lugdunenſes eſulã ſylveſtrem nominant, notandum: primùm quòd ſuſpicor, neque Lugdunenſes, neque Tabernæmontanum hanc

plantam

plantam unquam vidiſſe vel noviſſe. Illi ſiquidem referunt, hanc plantã aliis eſulis adeò ſimilem eſſe, ut vix ab aliis diſcernatur; cùm tamen neq; radice, neque caule, neq; foliis, multò minùs floribus aut virib. cum eſulis comparari poſſit. Exili ſiquidem radice nititur, caulem verò habet rotundum & infirmum, ſatis tamen craſſum & cavum, à quo plures ramuli oriuntur, unde folia balſaminæ fœminæ ſimilia diffunduntur, quę in circumferentia ſerræ modo ſunt inciſa, ſicuti & balſaminæ. Flores in extremitatibus prodeunt lutei, formâ, ut inquit Tragus, ad conſolidas regales accedentes. Rectiùs tamen prædictæ balſaminæ flores imitantur, niſi quòd lutei ſunt coloris.

Floribus ſuccedunt ſiliquæ oblongę & ſubtiles, in quib. ſemen pallidum invenitur, unde etiã nonnullis perſicaria ſiliquoſa nominatur. Quòd ſi quis hasce ſiliquas manibus contrectet, diſſiliunt, ſemenq́; quaſi indignabundæ in faciem vel manum contrectantis effundunt. Hinc Noli me tangere Tabernæmontano nominatur.

Cùm igitur idẽ faciant capitula balſaminæ fœminæ, in quibus ſemen illius concluditur; & folia, flores & caules ferè per totum conveniant; propterea hanc plantam malim ad balſaminam, quàm ad eſulam referre.

Quanquam verò aliquâ ex parte hæc planta lacteſcat, nullo tamen modo inſtar eſularum urit.

Deinde notandum, Tabernęmontanum hanc plantam perperam ad exoticas referre: cùm paſſim in ſylvis humidis & locis paluſtrib. & copioſiſſimè ante portam Dillenbergenſem, juxta Tillam flu-

vium proveniat. Facultates & vires quod attinet, utraq; planta in curatione vulnerum aliis præfertur. Sit ergo balſamina fœmina lutea.

QUÆSTIO LXIX.

An oxyacantha ſit berberis? C. N.

DE oxyacantha ſeu ſpina acuta tanta eſt ſcriptorum concertatio, ut difficile ferè ſit aliquid certi conſtituere. Fuchſius equidē interpres Nicolai Alexandrini, ſect. 41. in deſcriptione paſtillorum oxyacanthæ, pro oxyacantha ponit berberis, quam alii creſpinum rubum vocant. Tragus quoq; certò ſibi perſuaſum habet, oxyacantham nihil aliud eſſe quàm berberim. Verùm ſi textum Dioſcoridis rectè perpendamus, luce clarius evadet, Tragum & Fuchſium hallucinari. Dioſcorides enim docet, oxyacantham referre pyraſtrum, minorem tamen eſſe & valde ſpinoſam; & fructum myrto ſimilem, rubentem tamen & fragilem habere. Jam verò berberis neque arboris in modum aſcendit neque ramificat, ſed ſtolones plures, & quidem ſingulos è terra producit. Deinde florem pyraſtro diſſimilem, luteum ſcilicet profert. Tertiò fructum racematim cohærentem extrudit, minimeque baccas myrti referentem. Hinc adeò factum, quòd Matthiolus, Tabernæmontanus & Lugdunenſes Medici à priori iſtâ ſententiâ receſſerint, conſtituentes, oxyacantham eſſe arbuſculam, quam Germani Hagendorn vocant. Hæc enim pluribus notis ad pyraſtrum accedit;

cedit;

cedit; fructum ſiquidem fert baccis myrti ſimilem, rubrum, eumq; fragilem, ramos tortuoſos, & flores albicantes.

Folia quod attinet, licet apii in modum ſint inciſa, nec pyraſtri folia imitentur; conſtat tamen, Dioſcoridem in comparatione plantarum ad plures ſimilitudinis notas, non ad omnes reſpicere.

Hanc igitur controverſiã Tabernæmontanus ſic dirimere conatus eſt, ut inter oxyacantham Dioſcoridis & Galeni diſtingueret, Dioſcoridis oxyacantham vocans arbuſculam, quam Hagendorn vocamus, berberim verò oxyacantham Galeni nominans.

Verùm inſurgit quoque Anguillara contra Matthiolum, eò quòd baccæ oxyacanthæ minimè acerbum, ſed dulcem ſaporem habeant, proinde non adſtringendi, neque profluvia compeſcendi, quas vires Dioſcorides de ea prædicat, ſed laxandi facultatem poſſideat. Qua tamen in parte Anguillaram decipi certum eſt, ſapor ſiquidem auſterus in hoc fructu etiam bene maturo non eſt obſcurus.

QUÆSTIO LXX.

An ſanguiſorba ſit pimpinella? C. N.

TRagus & Matthiolus pimpinellã & ſanguiſorbam ſimilia habere folia, manifeſto errore affirmant. Unde forſan factum, quòd ignara plebecula, ipſi etiam Lugdunenſes Medici haſce

plantas indifferenter ſumunt: cùm tamen nemo tam rudis eſſe poſſit, quin & foliorũ & facultatum maximam diverſitatem agnoſcere poſſit, ſi modò oculos & linguam adhibeat. Folia ſiquidem utriusq; generis etſi ſunt in ambitu ſerrata, in pimpinella tamen admodum profundè ad mediã ferè coſtam uſque inciſa & ſerrata ſpectantur, in ſanguiſorbæ verò ſpeciebus leviter ſunt ſerrata. Deinde folia pimpinellæ in atrum vireſcunt, ſanguiſorbæ candeſcunt. Pimpinellæ folia ſunt longiora & acuta, ſanguiſorbæ rotunda. Pimpinellæ folia linguam pungunt, ac proinde calefaciendi, incidendi, penetrandi facultatem habent: Sanguiſorbæ folia linguam ſtringunt, proinde refrigerandi & obſtruendi facultatem poſſident.

Denique pimpinellæ ſpecies omnes in umbellam floribus albis ornatam abeunt: Sanguiſorbæ ſpecies in capitula abeunt, in quibus floſculi purpurei micant.

QUÆSTIO LXXI.

An piſum & cicer facultatibus differant? C. A.

INter piſa & cicera notabilem eſſe differentiam, teſtatur Galenus & Ægineta. Schola tamen Salernitana, quicquid de ciceribus Hippocrates, Dioſcorides & Galenus prodiderunt, ex autoritate Iſaaci, de piſis intelligit. Unde patet, Iſaacum Salernitanos in errorem deduxiſſe. Hinc etiam ſine dubio promanavit Germanorũ error, quem anno-

annotavit Matthiolus, quòd poſt aſſumpta medicamenta purgantia juſculum piſorum pro ablutione & deterſione ventriculi & inteſtinorum, loco cicerum exhibetur. Tantum ſiquidem abeſt, ut corpus inde mundificetur, ut potiùs mali ſucci generentur. Facultas igitur detergendi, urinam & menſtrua provocandi, iterum ſanandi, lac generandi, & venerem ſtimulandi, quam Salernitani piſis adſcribunt, ciceribus tantummodò debetur, piſis minimè. Hæc enim, ut docet Galenus, à natura fabarum parum differunt, craſſum, impurum & flatulentum ſanguinem generando. Cicera verò, arietina cum primis, Germanis Köchern & Ziſererbſen/prædictis viribus pollent. Quanquam igitur cicer bonitate & ſalubritate piſum plurimũ ſuperat, & prędictis facultatibus prędit ũ eſt, ut docet Gal. l. 6. de ſymp. fac. tamen in l. de ſuccorum bonitate c. 7. cicer etiam mali ſucci cibum eſſe asſerit. Hinc ergo infertur: Si cicer malum ſuccum generat; ſequetur quòd neque lac, neque ſemen, neque venerem augeat; quos tamen effectus Galenus alibi recenſet. Ad hanc difficultatem reſponſio elici poteſt ex cap. 12. lib. 1. de alim. fac. ubi Galenus inquit, Cicera credita ſunt ſemen augere, unde equis admiſſariis exhibebantur. Quaſi dicat Galenus, Revera non multiplicant ſemen, ſed flatus producunt, qui partium genitalium diſtenſionem potiùs quàm ſeminis multiplicationem generant.

Deniq; Lugdunenſes manifeſtâ contradictione ſe implicant, dum aſſerunt, cicera adſtringere & calculum expellere.

QUÆSTIO LXXII.

An polygonum minus calculum potenter moveat? C.N.

PLantula illa repens, quam Matthiolus polygonum minus, Tragus empetrum, Cordus millegrana, Anguillara epipactim, alii ab effectu herniariam vocant, eò quòd tàm efficaciter herniosis ſuccurrat, ut Fallopius quàm plurimos hernioſos hâc ſolâ plantulâ percuraſſe dicatur. Huic curationi & experientiæ etiam adſtipulatur ratio. Eſt enim plantula adſtrictoria, quam facultatem licet omnes Herbarii agnoſcant, tamen eandem plantam ad calculum tam veſicæ quàm renum ſummopere commendant. Quanquam igitur haud diffitear, diverſos ſapores ac proinde diverſas vires uni eidemque plantæ ſæpè ineſſe, nunquam tamen adduci poſſum, ut credam, tales plantas inſigniter operari, ſed lentè admodum & debiliter, eò quòd una qualitas alteram ſine dubio obtundit. Quod ſi igitur hæc planta efficaciſſimè herniam curat, efficaciter certè calculos haud comminuet, niſi medicinæ fundamenta evertere velimus. Jam verò & celebres medici & ratio manifeſta, docent, polygonum herniam curare & potenter adſtringere. Impoſſibile igitur eſt illam ipſam calculum quoque potenter expellere.

QUÆ-

QUÆSTIO LXXIII.

An lactuca lac nutricis augeat?

C. N.

QUæritur an eſus lactucæ lac nutricum augeat & multiplicet? Dioſcorides quidem de lactuca hæc prodidit: Lactuca ventriculo grata eſt, refrigerat & lac auget. Diphilus quoque, ut refert Ruellius lib. 2. de nat. ſtirp. lactucæ magnam nutriendi facultatem tribuit. Jam verò notorium eſt, ea quæ multùm nutriunt, lac quoque augere. Idem ſentit Orib. lib. 1. Eupor. c. 1. quippe excluſis omnibus aliis oleribus, ſolam lactucam ad augendum lac nutricis commendat. Plin. quoq; lib. 19. natural. hiſt. c. 8. lactucam ad multiplicandum lac nutricis non parum conferre aſſerit. In hanc quoque ſententiam conceſſerunt, Ægin. l. 1. cap. 74. & Orib. l. 4. Synop. c. 13. ubi lactucæ inſignem facultatem, bonum ſanguinē generandi, tribuunt. Extra controverſiam ſiquidem eſt, omnia quæ multum ſanguinis generant, lac, quod aliud nihil eſt quā boni ſanguinis ſoboles, multiplicare. Ex recētiorib. hanc ipſam ſententiā amplectitur Mercurialis l. 1. de morb. puerorum c. 3. Sed contrariam ſententiam defendere videtur Gal. qui l. 2. de alim. fac. c. 40. inquit: Quidā ſcribunt, lactucā non ſimpliciter ſanguinē generare, ſed multū ſanguinis, & per conſequens ad lactis generationem conferre: Quod ſi verū eſſet, inqt, lactuca imꝓbanda haud foret. Ex quib. verbis haud eſt obſcurum, Galenū parum fidei huic aſſertioni tribuiſſe, præſertim cū lib. 5. ſimp. c. 20. profiteatur, ea dūtaxat lac augere,

quæ moderatè calida ſunt & humida, cujusmodi ex ipſiusmetGaleni mente ſunt ova gallinarum & caponum carnes, amygdalæ dulces,&c. Jam verò Galeno minimè fuit ignotum,lactucam non calidam, ſed adeò frigidam eſſe, ut ſomnum etiam promoveat,& febriũ ardorem mitiget.Hinc Pythagorici,ut habet Ruellius loc.cit.lactucam propter inſignem refrigerandi facultatem nominabãt eunuchium, eò quòd ſuâ frigiditate venerem exſtinguat. Ex eodem etiam fundamento Matthiolus lactucam ad arcenda ſomnia laſciva & libidinoſa rectè commendat.Jam autem quicquid veneri reſiſtit,& ſomnia laſciva compeſcit, illud propter frigiditatem ad augendum ſanguinem & lac,planè eſt ineptum. Hoc porrò ex ſententia Cordæi probatur,qui com.4. in lib.1. Hippoc.de morb.mul.inquit:Non ſuffecit Hippocrati indicare,quomodo per balneum, cibum & ſorbitionem lac augeatur, ſed adjecit quoque, quænam illa ſint,quę lac imminuãt,omnia nimirum acria, ſalſa & quæ nimium refrigerant. Jam verò,ut omnibus notum eſt, lactuca ita refrigerat, ut ſomnum conciliet,& venerem exſtinguat. Ergo lac minimè auget. Sed controverſia iſta ſic componi poterit,quando inter cauſam generantem & adjuvantem diſtinguitur. Lactuca ex ſeſe neque ſanguinem neque lac multiplicat, aquoſa enim eſt & frigida,longiſſimeq; ab iis conditionibus recedit, quas Galenus & ipſa ratio ad lactis generationem requirunt. Quòd ſi verò ſanguis alicujus nutricis vel nimium calidus ſit & ſiccus,vel nimium craſſus,ut ad mamillas ægrè tranſeat; quod Galenus lib.

lib.5.ſimp.c.2.innuit. Tum lactucæ eſus ad contemperandum ſanguinem & adjuvandam lactis generationem proderit. Eadem ratio eſt origani, thymi, ſatureję & ſimilium ſimplicium calidorum & ſiccorum, quæ Ægin. lib.1. c.4. ad incidendam ſanguinis & lactis craſſitiem commendat, non quòd ex ſe lac gignant, ſed illius generationem & diſtributionem, aperiendo & incidendo promoveant. Sic Bonaciolus In.En.Mul.cap.8. rationem reddens, quamobrem fœniculum, apium & ſimilia ad lactis generationem commendentur, ait, id fieri, quia obſtructiones expediunt, ſanguinemq; incîdunt, & ad mamillas deferunt. Quapropter, qui lactucam ex ſeſe ad lactis copiam aliquid conferre putant: ſine dubio à fallaciſſimis plantarum ſignaturis, ſucco nimirum hujus plantæ lacteo, ſunt decepti.

QUÆSTIO LXXIV.

An ricinus ad inflammationes conferat? C.N.

RIcinum omnes ferè Herbarii eleganter depingunt: ſub hoc Jonam prophetam quieviſſe volunt Theologi, quando juſſus fuit Ninivitis urbis everſionem annuntiare. Licet autem ricinus apud nos non ſit iſtius altitudinis, ſub qua homo quieſcere poſſet; Manardus tamen ſcribit, ſe in Hiſpania circa Malaccam vidiſſe ricinum trium hominum altitudine, multis prægrandibus ramis bráchiatum inſtar aliarũ arborum, qui rami

tertio quoque anno amputari ſoleant. Bellonius quoque autor eſt, in Creta maximas ricini arbores videri. Qualitates verò ricini controverſæ eſſe videntur. Meſuæ enim ricinum ad tertium caliditatis ordinem reduxit. Tragus verò ricinum imprimis commendat ad ſedandas inflammationes: Lugdunenſes quoq; ricinum uſurpant ad reprimendas mamillas turgentes, qui effectus rebus duntaxat frigidis tribuuntur. Sed cùm omnium judicio ſemina ricini vehementer & laborioſè per ſuperiora & inferiora purgēt, adeò ut ex veterum ſententia ultra quindecim ſemina non ſint exhibenda, quæ Fernelius propter vehementem operationē ad quinq; ſemina reduxit; & verò omnia purgantia ſint calida, non ſine ratione Meſueo ſubſcribendum. Huc accedit Oribaſius, qui lib. 15 prodidit, ricinum per halitum digerere, cui etiam ſubſcribit Ægineta lib. 7. Jam verò conſtat, omnes iſtos effectus calorem potiùs quàm frigus arguere.

QUÆSTIO LXXV.

An ſalix adſtringat? C. N.

SAlix Dioſcoridi, Trago, Fernelio & Matthiolo, adſtringendi, refrigerandi, & condenſandi, ſtrenueq; exſiccandi vires habet. Unde dicitur, ſalicem frigidam eſſe, quæ enim refrigerant & condenſant, neceſſariò ſunt frigida. Verùm cùm amara ſit ſalix, ex ſententia Galeni, caloris non erit expers. Hinc etiam Matthiolus, licet cum Dioſcoride fateatur ſalicem condenſare, tamen extergendi quo-

quoque vires ei tribuit, unde ad claritatem viſus conferre docet. Sed jam conſtat, deterſoria eſſe calida, non frigida. Addo quòd Orib. l. 1. ſynopſeos c. 22. ſuccum ſalicis ad ea ſimplicia refert, quæ ſunt tenuium partium. Ad hanc difficultatem reſpondendum, ſalices & acerbitatis & amaritudinis participes eſſe, ut Salernitani Medici docent. Hinc diverſę dependent facultates. Addo, quòd facultas deterſoria ſecundùm Oribaſium potiùs eſt in ſucco, qui ex inciſa & vulnerata ſalice promanat: adſtrictoria verò vis in cortice potiſſimùm.

QUÆSTIO LXXVI.

An melilotus adſtringat? C. N.

QUanquam Dioſcorides nimiâ brevitate melilotum perſtrinxerit, floris duntaxat lutei & odoris crocei mentionem faciens; Matthiolus tamen, Lobelius, Lonicenus, Tragus, Lugdunenſes aliique Herbarii, de meliloti ſpeciebus nihil dubitant, ſed herbas quasdam trifoliatas, floribus luteis, & ſubnaſcentibus ſiliquis, pro Meliloto recipiunt, tametſi odore croceo deſtituantur. His tamen omiſſis, circa facultates & vires meliloti non parva controverſia eſſe videtur. Dioſcoridis ſiquidem teſtimonio melilotus adſtringit. Ejusdẽ ſententiæ Aëtius fuiſſe videtur, qui l. 3. ſerm. 2. c. 6. circa finem emplaſtrum ex meliloto paratum hepaticis commendat; conſtat autem, hepaticos, ut rectè docuit Savon. Tr. 6. cap. 26. ad confortandum hepar, requirere medicamenta adſtringentia. Membra enim pro toto corpore laborantia, ut ſunt ventriculus & hepar ad cõſervandũ naturale

robur ſtyptica requirunt. At verò recentiores ad unum omnes, melilotum referunt ad primum ordinem calefacientium & humectantium, ac proinde vim emolliendi, leniendi, & maturandi meliloto tribuunt. Hisce verò facultatibus cum hepatici manifeſtè offendantur, ideo Galen. lib. 8. med. loc. c. 7. varia medicamenta hepatica enumerans, nullam meliloti vel aliorum humectantium mentionem facit. Ergo melilotus vim adſtringendi non habet. Si dixeris pro defenſione Dioſcoridis, ipſum non de meliloto ſolo, vel ſimpliciter uſurpato, verùm cum paſſo commixto loqui: paſſum verò Gorræo, definitionum medicarum autore, adſtringere: Reſpondeo, paſſum, vel ipſo Gorræo teſte, ex dulciſſimis optimeque nutrientibus vinis mediocriter coctis, parari. Jam verò vina dulcia nullam habent vim adſtringendi: Ergo melilotus neque per ſe, neque cum paſſo vim adſtringendi habet.

QUÆSTIO LXXVII.

An vinum mitiget furorem bilis?

C. N.

CÆlius Rhod. lib. 28. c. 29. Antiq. lect. inquit, vinum vim bilis reprimere & mitigare. Ab hac Cælii ſententia haud alienus fuit Galen. c. 3. de an. morib. ubi expreſsè docet, Animum vini uſu mitiorem reddi. Quòd ſi verò bilis naturam & effecta conſideremus, luce clarius evadet, nihil bilem tàm acuere & ferociorem reddere ac vinum.

Bilis

Bilis enim teſte Gal.lib.10.ſimpl.fac.&l.8. de plat. Hipp.c.6. ſive bilem flavam ſive atram reſpicias, omnium humorum eſt calidiſſimus,adeoq; hujus humoris proprium eſt ferociam ſeu furorem excitare. Jam verò vini uſus hunc ipſum furorem non modò nihil imminuit,ſed vehementer etiam auget.Propterea idem Gal.de ſuc.bon.c.11.inquit, Bilioſis corporibus, ſive talia à naturali temperamēto,ſive acquiſititia ſint,nullum vini genus ſed aquæ potiùs prodeſt,niſi vinum admodum ſit auſterum. Idem quoq; docet Gal.l.5.de ſan.conſ.c. ult.ubi ex Hipp.ſententia vinũ frigidis duntaxat naturis conferre aſſerit.Jam verò tantum abeſt,ut bilioſa corpora ſint frigida, ut potiùs omnium ſint calidiſſima. In eandem ſententiam idem Galen. disputat cap.10. de an. morib. & alibi paſſim.Item Plato in lib.2.de Rep.docens cur vinum non ſit dandum juvenibus, inter alias cauſas hanc cumprimis ponit,quia furibunda eſt juventus,calida & ſicca,ut non niſi dementis ſit, vinum furori, velut oleum flammæ, ſubminiſtrare. Vinum namque caput calidis vaporibus replet, motus partis animæ concupiſcibilis & iraſcibilis immoderatiores auget, rectamque rationem obſcurat. Hinc ſchola Salernitana inquit:

Eſt humor choleræ,qui competit impetuoſis,
Hoc genus eſt hominũ cupiens præcellere cunctis.
Hirſutus,fallax,iraſcens,prodigus, audax,
Aſtutus, gracilis,ſiccus,croceiq́ coloris.

Ad hanc componendam controverſiam reſpondetur,Galenum com.6.in 6.Epid. Hipp.triplicem mitigationem ſtatuere,quarum prima eſt,

quando ipſa materia mitigatur. E.G.quando bilis flavæ caliditas per aquam vel vini auſteri uſum contemperatur. Altera, quando partes, materiam aliquam mitigandam continentes, idoneæ redduntur ad expellendam & tranſmittendam illam. E.G.quando Galenus in dolore oculorum vino utitur, non quòd per ſe dolorē mitiget, ſed quòd perſpirationi ſubſerviat, parteſque perſpirabiles reddat, ut materia doloris citiùs & faciliùs tranſpiret. Sic bilis mitigari dicitur, quando obſtructio aliqua in folliculo bilis vel meatu bilario facta, liberrimum bilis decurſum impediens, & vel ſurſum ad cor & cerebrum, vel in partes cutaneas impetum facere cogens, uſu vini penetrãtis aperitur, quâ apertione factâ, humor ille bilioſus mentem animiq; affectus minùs exagitat, parteſque cutaneas minùs defœdat & commaculat. Tertia mitigatio, quando ſtupor & inſenſibilitas conciliatur, ut materiæ moleſtantis vis minùs ſentiatur. Licet igitur vinum primo modo bilem non mitiget, ſecundo tamen & tertio modo mitigabit. Ad contradictionem Galeni reſpondetur, Galenum c.3. de an.morib.in ſpecie de melancholicis agere, qui cùm ſint frigidi & meticuloſi, vino opus habent: quia teſte ſacrâ Scripturâ vinum exhilarat cor hominis, animum confirmat, erigit, confidentiam parit, omnemq; metum & triſtitiam expellit. De tali quoque mitigatione bilis loquitur Orib. lib.5. coll.c.7.ubi ex ſententia Ruffi ad mœrorem & puſillanimitatem melancholicorum præſtantiorem medicinam ipſo vino dari non poſſe docet.

QUÆ-

QUÆSTIO LXXVIII.

An vinum conferat ſenibus?

C. A.

NOn malè, opinor, ſentit Plin. lib. 23. naturalis hiſt. c. 1. vini tractationem tam difficilem eſſe affirmans, ut nullius rei tractatio difficilior eſſe poſſit. Si enim ad vinorum differentias in ſapore, odore, colore, & ætate potiſſimùm poſitas, nec non ad diverſam hominum conſuetudinem & ætatem reſpiciamus, nihil veri & certi definiri poterit. Attamen in disquiſitionem hoc loco vocemus; An vinum ſenibus conveniat?

Galen. lib. 5. de conſ. ſan. c. 5. ab initio ſtatim inquit: Quemadmodum vinum pueris eſt adverſiſſimum, ita ſenibus eſt utiliſſimum. Paulò pòſt. cap. ſcil. 7. ejusdem libri inquit, potentiſſima vina ſenibus danda eſſe. Idem ſentit Aëtius lib. 1. ſerm. 4. cap. 30. Vinum, inquiens, calidiſſimum, quale eſt, quod ſubſtantiam habet tenuem & colorem flavum, ſenibus eſt accommodatiſſimum. Tale enim calefacit, & urinam promovet. Celſ. quoque lib. 2. cap. 3. autor eſt, vinum meracius ſenibus optimum eſſe. Deniq; Ægineta lib. 1. cap. 22. inquit, vinum, ſi quid aliud, humores crudos maximè concoquit: jam verò certum eſt, ſenes humoribus crudis ſcatere: Ergo vini uſus ſenibus maximè prodeſt. Hinc forſan in proverbium abiit, Vinum eſſe lac ſenum.

Sed contrarium docet Galen. com. 3. de vict. ac. inquiens, Ubi magna eſt cruditas, ibi vinũ locum

nullum habet. Jam verò ſenes cruditatibus maximè laborant. Ergo. Hinc, niſi fallor, eſt, quod lib. 2. de ſan. conſ. cap. 4. deſcribens diætam Telephi Grammatici, qui annos centum; & Antiochi Medici, qui annos octuaginta natus erat; nullam vini, ſed mellis & panis in vino madefacti mentionem facit. Dioſcorides etiam lib. 5. cap. 7. prodidit, vinum nervos & ſenſuum organa lædere. Et Meſue inquit, vinum oculos & nervos malè afficere: jam autem nemo ignorat, ſenes nervos habere debiles & infirmos; ut non aliter ac pueri tremore corripiantur: ſic graviorem hoſtem & minus evitabilem habent, viſus obſcuritatem & caliginem. Ergo vinum non minùs ſenibus quàm pueris adverſum. Quòd ſi alia ſymptomata perpendamus, quibus ſenes plerumq; moleſtantur, deprehendemus, illis vinum potiùs obeſſe quàm prodeſſe. Primùm ſiquidem conſtat, calculum renum frequentiſſimè ſenes torquere: Aëtius autem lib. 3. ſerm. 3. cap. 1. inquit, cruditates in ſenibus accumulatas facilè ad renes & vias urinæ deduci, unde poſtmodum calculi generantur. Cùm ergo ſuâ ſponte hoc ſæpè fiat, ſæpiſſimè certè fiet uſu vini, omnem ſaburram ad renes ſecum abripientis. Oribaſius etiam lib. 1. Eupor. cap. 11. refert, ſenes quotidiè accumulare excrementa pituitoſa, quæ, ne calculus generetur, per alvum potiùs quàm per urinam ſunt deducenda. Hoc ipſum ſtatuit Galenus comment. 3. de vict. ac. ubi inquit, vinum materiam fluxionibus aptam ad penitiores venas rapit, ibique obſtructiones gignit. Et Cardanus de conſ. ſan. inquit, vinum cruditates

tates ad partes remotiores trahit, in quibus ſubigi minimè poſſunt. Idcirco Ægineta lib. 3. cap. 13. vinum minimè potens, nec diureticum, ſed mediocre & cum melle mixtum commendat, ut omnis excrementicia humiditas beneficio mellis potiùs per alvum quàm per urinæ vias trahatur. Denique ſenibus omnia membra magis magiſque ſicceſcunt, ut docet Card. lib. 4. de ſan. conſ. cap. 28. & lib. 4. cap. 1. inquit, ſeneſcere nihil aliud eſſe quàm ſicceſcere. Vinum verò, teſte Hippocrate lib. 2. de rat. vict. calefacit & exſiccat. Ergo vinum ſenibus inutile.

Quapropter, quemadmodum ſenes bis pueri dicuntur, ita etiam exiſtimandum, vinum non minùs ſenibus quàm pueris perniciosum eſſe. Averroes autem ſuper Cant. Avic. inquit, vino, quod ſenibus conceditur, ſuccum mali punici, cotoneorum vel cucurbitæ admiſcendum eſſe. Cælius igitur Rhod. lib. & cap. 28. hanc cautionem perpendens, facilè animadvertit quàm periculoſum ſit ſenibus vinum concedere, ideo in hæc erumpit verba, vinum nulli ætati utile eſſe.

Ad diſſolvendam & componendam hanc controverſiam diſtinguendum inter ſenes temperantes & intemperantes, inter ſenectutem viridem & decrepitam. Senibus temperantibus omnemque cruditatem præcaventibus, vel illam ipſam certis anni temporibus evacuantibus, vinum mediocre modicè ſumptum ſaluberrimum eſſe: Senibus verò intemperantibus, omnemque cruditatem negligentibus adverſiſſimum eſſe vini, præſertim potentioris, uſum.

Idem circa duplicem ſenectutem conſiderandum, viridis ſiquidem ſenectus, quæ corpus movere & exercitia aliqua ſuſtinere poteſt, paulò liberalius vino uti poteſt; decrepita verò ſenectus non niſi magno judicio adhibito. Contradictionem Galeni quod attinet, dicendum, Galenum quandoque ad conſuetudinem, quandoque ad ſolam rationem reſpicere.

Aëtii contradictio ſolvitur, ſi conſideremus id quod loc. cit. lib. 1. paulò pòſt addit, nimirum, *Oportet autem ſenes abſtinere à viſcoſis*; quaſi dicat, ſi cruditatis ſigna appareat, à potentioribus vinis erit abſtinendum.

Pro Ægineta reſpondetur, alias cruditates concoctionem admittere, alias minùs. In priori caſu vinum locum habet, in altero minus.

QUÆSTIO LXXIX.

An vina dulcia minùs inebrient?

C. A.

CÆl. Rhod. lib. 28. antiq. lect. c. 37. dulcia vina ebrietatem arcere docet. Ab hac ſententia non alieni fuerũt Plutarchus & Macrobius. Contrarium docet Albertus Magnus, qui muſtum vino magis inebriare docet. Hæc Alberti ſententia ex cap. 9. lib. 2. de alim. fac. comprobari poteſt, ubi Galen. docet, uvas dulces plus caloris habere. Ergo & vinum dulce plus calefacit, & proinde magis inebriabit. Accedit quod idem Galen. lib. 3. de Medic. facilè parab. docet, amaras amygdalas ebrieta-

brietatem arcere. Unde infertur, ſi amara ebrietatem arcent; ſequetur ex contrario ſenſu, dulcia ebrietatem irritare. Deniq; Alberti ſententia ex violenta muſti agitatione & ebullitione in cado comprobari poteſt. Si enim ita furioſè agitatur in cado, quid in capite fieri putabimus?

Hanc controverſiam ex Galen. lib. 4. de alim. cap. 11. componi poſſe arbitramur. Ibi enim Gal. duplicem calorem muſto tribuit, unum naturalem & conſtantem, alterum adventitium minimeque conſtantem, ſed qui poſt ebullitionem ſeu fermentationem perit. Muſtum igitur, quatenus muſtum, magis inebriat, quatenus verò jam vinum defæcatum & dulce, minùs inebriat: dulcia enim, cæteris paribus, avidiſſimè partim ab epate & venis rapiuntur, partim etiam ad alvum emolliendam feruntur, ut in caput minùs exhalent, idque minùs perturbent.

QUÆSTIO LXXX.

An vinum rubrum refrigeret?

C. N.

PLeriſq; hominibus eſt perſuaſum, vinum rubrum non excalefacere, ſed refrigerare; unde puerulis febricitantibus, aliiſque, quibus vini uſus eſt adverſus, largiter illud infundunt. Horum errori patrocinari videtur Italorum conſuetudo; qui cùm ſint calidioris temperaturæ, regionemque calidam inhabitent, vino rubro &

nigro, cumprimis tempore æſtivo, pro potu ordinario utuntur. Hæc ipſa perſuaſio confirmari poterit ex ſententia Galeni lib. 3. de alim. fac. cap. 40. & Æginetæ lib. 1. cap. 95. vinum rubrum, inquiunt, craſſum eſt. Jam verò quò craſſiora ſunt vina, eo frigidiora ſint neceſſe eſt; caloris enim proprium eſt attenuare & partes vini heterogeneas ſeparare, claritatemque efficere. Aëtius quoque lib. 1. ſerm. 1. vina auſtera minùs calefacere. Rubra autem vina & nigra omnium judicio ſunt auſtera. Ergo non calefaciunt, ſed refrigerant. Ipſe quinetiam Galen. lib. 3. de Fract. tex. 21. vinum rubrum utpote auſterum ad deliganda vulnera commendat. Vulneribus verò deligandis ea conveniunt, quæ inflammationes arcent, & adſtringunt; cujusmodi ſunt frigida & repercutientia dicta.

In contraria ſententia eſt Ariſtoteles lib. 8. hiſt. an. cap. ult. Pueris, inquit, epilepticis magis nocet vinum rubrum quàm album; epilepticis autem nocent vina fortia & calida. Ergo vinum rubrum eſt calidius albis. Idem habetur apud Plin. lib. 23. naturalis hiſt. cap. 1. ubi expreſsè docetur, vinum rubrum eſſe calidius. Huc referri poteſt teſtimonium Actuarii lib. 3. meth. cap. 17. vinum quò coloratius eſt, eò calidius. Jam verò vinum rubrum eſt coloratiſſimum. Ergo calidiſſimum. Ad componendam hanc controverſiam dicendũ eſt, vinum rubrum nudè & ſimpliciter cõſideratum, quatenus vini ſaporẽ, id eſt, acredinem, cum moderata & obſcura dulcedine contemperatam obtinet, eatenus plus & minus calefacere, prout magis

magis vel minus acredinis particeps eſt. Reſpectu verò vini fulvi, vel alterius potentioris vinoſitatis refrigerare, eò quòd propter auſteritatem caput minùs ferit, minusque penetrat. Verùm huic reſponſioni obſtat Gal. in lib. de ſuc. bon. c. 21. inquiens, Maxima ſunt vini discrimina; neque enim vinorum ea eſt conditio, quæ lentiũ vel cæparum vel lactucæ: omnes ſiquidem lentes exſiccandi vim habent, licet ſecundùm magis & minus differant. Sic cæpæ omnes calefaciunt, lactuca omnis refrigerat, licet ſecundùm diverſos gradus calefaciendi & refrigerandi differant. Alia, inquit Gal. eſt vini conditio. Cæcubum enim vehementiſſimè calefacit, à quo auſterum in tantum differt, ut non ſolùm nihil calefaciat, ſed ſenſibiliter etiã refrigeret. Hinc infertur, eſſe nonnulla vina, quæ non reſpectivè, ſed abſolutè refrigerent.

Ad hanc objectionem reſpondetur: Si vina nonnulla ſunt, in quibus ſapor auſterus abſolutè & ſimpliciter prædominetur, nihilque ei vel dulcedinis, vel acredinis aut vinoſi inſit, illa ſine dubio non ſolùm ſenſibiliter refrigerare, ſed etiam aceti modo pungere & vellicare, id quod vina immatura tam rubra, quàm alba facere ſolent. Rubra tamen, licet ad maturitatem pervenerint, auſteritatem tamen naturalem retinent; adeoque non ſimpliciter & abſolutè, ſed reſpectivè refrigerant, eò quòd vinoſus ſapor auſteritati prævalet, eamq; obſcurat. Omne igitur vinum quatenus maturum & vinoſum, eatenus calefacit: magis tamen & minùs, prout acredo, dulcedo, & vinoſitas auſteritatem, acerbitatem vel aciditatem ſuperant.

QUÆSTIO LXXXI.

An aqua pluvialis ſit ſaluberrima? C. N.

CUm nihil ſit in rerum natura, quo genus humanum minùs carere poſſit, quodque in plures uſus requiratur, quàm aqua; ideo non absq; graviſſima cauſa Galenus c.7.de aff.ren. Ægineta lib.1.c.50. Celſus l.2.c.18. aquæ cognitionem maximè neceſſariam eſſe tradiderunt. Quapropter cùm nonnihil de vini naturâ dictum ſit; inquiramus nunc, quænam aqua homini ſit ſaluberrima. Aëtius enim lib.1.ſerm.3.c.165.quinq; ponit aquæ ſpecies, pluvialem ſcil. fontanam, fluvialem, putealem & lacuſtrem. At verò tanta eſt Medicorum & Phyſicorum de aquæ electione, discrepantia, ut difficilimum ſit dijudicare, quænam aquæ ſpecies ſalubritate præcellat. Hippocrates cùm alibi tum maximè in lib.de Aëre, Aq. & Loc. aquæ pluviali ſalubritatis palmam tribuit. Galenus.lib.1.de ſan. conſ.cap.11. fontanam, quæ verſus ortum ſolis erumpit, ſaluberrimã prædicat. Ægineta lib.1.c.50. illam reliquis omnibus præfert, quæ in æſtate frigidior, in hyeme verò eſt calidior. Talis verò aqua ſine dubio eſt putealis, quod etiam teſtatur Gal. l.3.de ſimp.fac.c.23. Sunt igitur tres diverſæ ſententiæ de aquæ ſalubritate & præſtantiâ; prima Hippocratis, ſecunda Galeni, tertia Æginetæ. Hippocrati calculum dat Cornelius Celſus lib.2. c.18. & Aëtius lib.1.ſerm.3. item Oribaſius ex ſententia Ruffi lib.5.coll.cap.1. nec non Plinius.lib.31. naturalis hiſt.c.3. Verùm Celſus & alii qui Hippocratis

cratis ſententiam amplectuntur, duplicem conſtituunt pluvialē, tonitruoſam ſcil. & nimboſam, illam nimboſæ præferentes, eò quòd per concuſſionem tonitru, atq; fulguris meliùs excoquatur, nimboſa verò cruda quaſi decidat. Aëtius verò illam pluvialem eligit, quæ citò excipitur & percolatur.

In hac diſcrepantia ut certi aliquid & ſolidi decernatur, conſiderandæ priùs erunt bonæ & ſalubris aquæ conditiones; quas tradidit Avic. Fen. 7. de diſpoſitionibus aquarum. Prima cōditio eſt, ut aqua ex ſubtilibus vaporib. ſit generata. Secunda, ut motu non careat. Tertia, ut pondere ſit levis, minimeq́; gravis. Quarta, ut ſit clara. Quinta, ut omnis ſaporis, odoris & coloris extranei ſit expers. Sexta, ut citò calefiat, citóq; refrigeretur. Septima, ut in hyeme ſit calida, & æſtate frigida. Octava, ut ſit in loco libero. Nona, ut moveatur verſus ſeptentrionē vel orientem. Decima, ut ſit ventis & ſoli expoſita. Undecima, ut celeriter currat. Duodecima, ut per ſilices & arenā puram decurrat. Decimatertia, ut procul ſit à ſcaturigine. Jam ſi aquā pluvialem ſecundùm dictas Avicennæ conditiones examinare velimus, vix unā ſalubritatis notam inveniemus. Primùm n. conſtat, pluvias generari à vaporibus per calorem ſolis ſurſum attractis, & in guttulas reſolutis. Cùm verò ſol tam impuros, quàm puros vapores indifferenter attrahat, impoſſibile eſt, aquam ex differentibus variiſque vaporibus generatam, ſalubrem eſſe. Abſurdum ſiquidē & à ratione alienū eſt, quod Oribaſ. ſcribit, ſolē duntaxat puriſſimos & ſubtiliſſimos vapores attrahere; cùm omnibus phyſicis cōſtet, tam ex

cænoſis, paluſtribus & cloacis, infectis fluminibus vapores trahi, quàm ex limpidiſſimis fluminibus, imò ranæ nonnunquã & mures ſurſum feruntur, iterumque per imbres decidunt. Non ſine causâ igitur Aëtius cenſuit, aquas pluviales percolandas eſſe. Si enim puriſſimæ & ſubtiliſſimæ, quid percolatione opus eſt? Non minùs deſtituuntur ſecundâ conditione, ſubitò ſiquidem decidunt, & collectæ in ciſternis nihil moventur. Tertiam conditionem quod attinet, non ſine cauſa illam deridet Plinius, inquiens, Sunt qui ſtaterâ de aquæ ſalubritate judicant, fruſtrante diligentiâ, quia perrarum eſt, ut una ſit levior alterâ. Hoc ipſum deridet Rond. quia facilè fieri poteſt, ut aliquot guttulæ huic cyatho plus infundantur, alteri minùs, unde judicium difficile & fallax redditur. Claritatẽ quod attinet, ex dictis facilè patet, quàm non poſſit eſſe clara. Ejusdem ſortis eſt color & ſapor. Sexta conditio ex Aph. 26. lib. 5. Hipp. deſumpta, eſt neque contemnenda, quia facilis iſta alteratio aquę, ad utrumque extremorum, indicat ſubjecti utilitatem & habilitatem ad agentis impreſſionem.

Verùm quanta induſtria requiratur ad dignoſcendum, an duæ diverſę aquarum ſpecies, e. g. putealis & fluvialis, vel pluvialis æqualiter primùm calefactæ fuerint, deinde quænam ex iſtis priùs frigere incipiat, quis non videt? Septima conditio aquæ pluviali è diametro adverſatur; quò enim externum frigus eſt intenſius, eò etiam aquæ pluviales, ſi quæ decidunt, frigidiores ſunt, & è contrario. Octava quoque conditio aquæ pluviali,

ciſternis,

ciſternis, in locis umbroſis & reconditis exceptæ, minimè competit. Ejusdem ſortis ſunt & reliquæ conditiones.

Verùm Galenus, Celſus & alii alias quoq; bonæ & ſalubris aquæ conditiones propoſuerunt, quarum potiſſima eſt, facilis & difficilis aquarum per hypochondria transitus. Quæcunque enim aqua facilè transit, illa quoque optima, quæ difficulter, illa peſſima.

Alia conditio eſt, quòd aqua illa ſit optima, in qua legumina faciliùs concoquuntur. Jam verò aqua pluvialis, teſte Aëtio, quasvis fluxiones compeſcendi & conſtringendi facultates habet, unde etiam Savonarola ad curandam dyſenteriã aquam pluvialem pro medicina adſtringente plurimùm commendat. Ergo citò & facilè penetrare non poteſt, ac proinde inſalubris. CoctCoctu ram leguminum quod attinet, eandem difficultatem cum ſexta conditione ab Avicenna tradita, patitur; difficilimum ſiquidem, ne dicam impoſſibile, foret, eundem ignis gradum obſervare, unde accidere poſſet, ut legumina in aqua puteali paulò intenſiori ignis gradu cocta, faciliùs coquerẽtur, quàm quæ in aqua fontana vel fluviali ad ignem paulò remiſſiorem coquuntur.

Quapropter aqua pluvialis non ſolùm propter cauſas expoſitas, ſed etiam propter penuriam, & frequentem pluviarum defectum ſalubritatis locum habere nequit. Quòd ſi enim deficientibus pluviis ad alterius cujusdam aquæ uſum transire vellemus; quis non agnoſcit, quanto cum vitæ noſtræ discrimine iſta mutatio fieret?

Putealem verò aquã, ſi ad prædictas Avicennæ, Galeni & Celſi regulas & bonæ aquæ conditiones referre vellemus, ne unicam quidem bonæ aquæ notam inveniemus. Multò minùs aqua fluvialis propter urbium ſordes, quæ utplurimùm in flumina exonerantur, propter piſces aliaque animalia, flumina ingredientia, ſalubritatis notas obtinebit, ut non immeritò dixerit Aëtius, omnes aquas fluviales eſſe malas. Lacuſtrem denique aquam omnium aliarum deterrimam eſſe, nemo hactenus in dubium vocavit. Cum Galeno igitur aquam fontanam, quæ per terram puram, arenoſam & ſilices, verſus ortum ſolis decurrit, tam ad potum, quàm ad parandum cibum & medicamenta, optimam & ſaluberrimam eſſe concludimus.

QUÆSTIO LXXXII.

An acetum calefaciat? C. N.

DE natura aceti tanta eſt Medicorum & Philoſophorum diſſenſio, ut difficilimum ſit ad veram aceti cognitionem pervenire: ſi enim ab effectis de cauſis judicium facere licet, ſine dubio acetum naturæ erit calidiſſimæ. Experimur ſiquidem, teſtas ovorum, aliaque ſolida corpora, aceto colliquari & molliſſima fieri. Hinc chymicæ artis profeſſores, margaritas, corallos & plura alia duriſſimæ ſubſtantiæ corpora, aceto eliquare ſolent & reſolvere, quæ alioqui vix ullâ aliâ arte eliquari poſſunt. Hujus rei Annibalem non ignarum fuiſſe,

fuiſſe, teſtatur Livius libr.1.dec.3. Cùm enim invias haberet Alpes, nec ignis ad comparandum transitum ſufficeret, affuſo aceto, duriſſima ſaxa eliquavit, & Alpes penetrabiles fecit. Quinimò urentem & corrodentem aceti facultatem cognoſcunt Medici Anatomici, qui ad demonſtrandas venas per epatis ſubſtantiam occultas, totum epar in aceto macerant, donec corruptâ & exesâ carne, venæ in conſpectum veniant. Hisce omnibus ſubſcribit manifeſta aceti acrimonia & facultas ad remotiſſima quæque penetrandi, quæ caloris infallibilia ſigna eſſe putantur. Cùm igitur iſti effectus caloris proprii ſint, non ſine causâ Ariſtoteles probl.33. acetum calidæ naturæ eſſe pronuntiavit. Ariſtotelem ex recentioribus ſequitur Fallopius, qui capite 18. de foſſilibus, acetum magnam calefaciendi facultatem poſſidere ſcribit. Ex veteribus etiam Aëtius in principio lib. ſimp. med. manifeſtam caliditatem aceto attribuit.

Ex altera parte Hippocrates lib.3. de rat. vict. & Dioſcorides libro 5. capite 17. acetum ſimpliciter refrigerare teſtantur. Nec deſunt etiam effecta, quæ exceſſivam aceti frigiditatem comprobant. Primùm experimur, acetum omnibus partibus nervoſis, ſuâq; naturâ frigidis, inimicum eſſe. In colica etiam paſſione aliisque morbis frigidis aceti uſus eſt pernicioſiſſimus. Præterea cùm omnia acetoſa refrigerent, ipſum certè acetum minimè calefaciet. Galenus etiam lib.1. ſympt. c.19. docet, ſe ad impoſitionem Thapſiæ, inflammationem

cutis excitaſſe, atq; ut vires aceti meliùs explora-ret, præter acetum etiam alia ad compeſcendam inflammationē uſurpaſſe; ſed omnium aliorum, acetum efficaciſſimum ad refrigerandum medicamentum ſibi compertum eſſe. Interim tamen idem Galenus lib.cit.c.24. acetum neq; calidum, neque frigidum eſſe docet. Hanc Galeni inconſtantiam ſequuntur Ægineta, Celſus, Oribaſius & alii, qui acetum modò calidum, modò frigidum, plerunque tamen miſtæ facultatis eſſe pronuntiant.

Ad componendā hanc controverſiam, reſpondendum, ſæpè uni & eidem rei, propter diverſas partes ei inhærentes, diverſas etiam & contrarias facultates ineſſe; quemadmodum lacti ineſt aqua, butyrum & caſeus; unde diverſæ vires lacti inſunt. Interdum etiam uni rei ſine miſturâ diverſarum partium diverſus ineſt ſapor & qualitas diverſa. Hujus rei exemplū habemus in roſis, quibus dulcedo quædam & amaritudo ſimul, ac proinde diverſæ qualitates inſunt. In hiſce tamen rebus una qualitas ita ſemper excedit, ut ab illa exceſſiva ſit facienda rei denominatio. Cùm igitur in aceto aciditas maximè excedat, meritò Hippocrates acetum ad claſſem refrigerantium retulit. Galenus verò acerrimus rerum naturalium ſcrutator, quando ipſam aceti acrimoniam ſimul expendit, aliquem ei calorem aſſignat. At inſtet aliquis, Galenum lib.4.ſimpl.c.3. aceti calorem maximè extollere, factâ nimirum aceti cum cineribus comparatione: Quemadmodum, inquit Galenus, in cineribus, factis ex ligno per combuſtionem corrupto,

rupto, manifeſta ineſt caliditas, ſic etiam in aceto facto ex vino, per putrefactionem corrupto, manifeſta caliditas remanet. Sed, pace Galeni, corruptionem ligni per combuſtionem factam comparare cum corruptione vini facta per putrefactionem, abſurdum eſſe dixerim: quæ enim comburuntur, etiamſi per ſe frigida ſint, aduſtione tamen calorem acquirunt: quæ verò per putrefactionem corrumpuntur, omnem calorem deperdunt, quod ipſum Galenus 11. meth. cap. 8. & alibi paſſim non diffitetur. Hinc acetum, vinum mortuum non ineptè nominatur. Cùm verò ſine deſtructione caloris nihil mori poſſit, conſtare arbitror, ratione quidem putrefactionis, nihil caloris aceto ineſſe poſſe.

Ad diſſolvendum hunc nodum dixerunt nonnulli, magnam eſſe aceti differentiam: interdum enim acetum à vino Malvatico, vel alio generoſo, interdum etiam à vino tenui & ſimplici cerevisia, item pyrorum & pomorum ſucco fieri: Primi generis acetum ſine dubio manifeſtam caliditatem retinere, ſecundi verò generis acetum ſimpliciter frigidum eſſe. Verùm iſta reſponſio propoſitæ difficultati & contradictioni in verbis Galeni minimè ſatisfacit. Galenus enim de vini tantùm aceto loquitur. Reſpondendum igitur, lib. 1. ſimp. c. 19 conſiderari acetũ in ſeſe & ſecundùm naturæ ſuæ eſſentiam lib. 4. autem cap. 3. conſiderari acetum, quod diuturnitate temporis inſignem acquiſivit acrimoniam, cujus ratione calefaciendi facultas emergit. Eſt enim expreſſa Galeni ſententia libr. 3. de comp. med. loc. vinum, mel, ace-

tum, adipem & oleum vetuſtate acria & calida fieri. Quapropter acetum per ſe & ſecundùm omnium aliorum acetoſorum naturam maximè refrigerat; per accidens autem ſuperveniente vetuſtate aliquam acrimoniam, & per conſequens obſcuram calefaciendi vim acquirit, quæ cum eſſentiali aceti frigiditate minimè comparari poteſt.

Ad argumenta igitur ab effectis in contrarium adducta reſpondetur: Primùm acetum teſtas ovorum propriè non colliquare, ſed disſolvere & comminuere, ſimili ſcilicet modo, quo renum & veſicæ calculi acetoſo vitrioli ſpiritu, quo nihil æſtum febrium ardentium meliùs compeſcit, comminuuntur & disſolvuntur. Addatur etiam hoc, non ſolùm manifeſtas, ſed occultas etiam rerum qualitates maximè conſiderandas eſſe: Videmus enim, Adamantem omnium gemmarum duriſſimum ſolo ſanguine hircino emolliri; quem nec Malvaticum, nec alia decuplo calidiora vina emollire poſſent. Chymicorum autem operatio non ſimplici aceto, ſed laboriosè præparato & rectificato perficitur. Quod de Annibale ſcribitur, pro figmento potiùs, quàm pro vera hiſtoria habendum: nuſquam enim, multò minùs in Alpium anguſtiis & difficultatibus tanta aceti copia dabitur, quanta immacerandis Alpium ſummitatibus ſufficiat: ſimplex verò aceti affuſio nihil proderit, niſi ſaxa disſolvenda juſtam moram in aceto traxerint. Ad illud deniq; Anatomicorum artificium, quo ſubſtantia epatis in aceto conſumitur, reſpondetur ex Galeno lib.5.ſimp.cap.15.

multos

multos eſſe corrumpendi & conſumendi modos, nec omnia ſolis cauſticis, ſed narcoticis etiam & putrefactoriis medicamentis corrumpi.

QUÆSTIO LXXXIII.

An omnia amara ſint calida? C. A.

GAlenus acerrimus rerum naturalium ſcrutator libr. 4. ſimpl. med. facult. cap. 7. 9. 19. & 22. omnia amara calida eſſe pronuntiat. Contrarium tamen in lactuca, cichorio, in ipſo denique opio, & ſimilibus aliis apparet; quæ licet amara ſint guſtantibus, omnium tamen Medicorum judicio frigida cenſentur. Hinc veteres lactucam ob refrigerandi ſomnumque inducendi facultatem in fine cœnæ aſſumere ſolebant, unde carmen Martialis:

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

Sic Medicis nihil eſt uſitatius, quàm cichorium ad contemperandum hepatis fervorem exhibere. Opium verò tam eſt frigidum, ut ſtuporem etiam inferat, & Galenus libr. 8. de comp. med. cap. 3. nimiam opii frigiditatem vel croco vel caſtorio corrigat. Ab hac apparente contradictione ut liberetur Galenus; Reſpondemus, ipſum in locis citatis de rebus propriè amaris locutum eſſe, quibus tres proprietates perpetuò inſunt. Prima proprietas eſt, ut ſola amaritudo rebus inſit, vel certè prædominetur; cujusmodi eſt aloë,

item fel; quæ duo à Galeno lib.4.ſimpl.med.c.4. quaſi pro exemplo rerum amararum proponuntur. Alterum eſt, ut res propriè amara extremè ſicca ſit, & moleſtè exaſperet, quod requirit Aëtius lib.1.c.1. Tertia eſt, ut ad nutriendum ſit planè inepta, ut inquit Galenus 4. ſimpl.med.c.20. Si enim dulcia optimè nutriunt, quod paſſim omnes fatentur Medici, ſequetur ex natura contrariorũ, amara planè nihil nutrire. Jam verò lactuca nullam dictarum proprietatum habet, ſimpliciter enim amara non eſt, ſed ſubdulcis & pinguis: multò minùs extremè ſicca & exaſperans. Deinde ad nutriendum non eſt inepta: Lactucam enim plurimùm nutrire, Galenus, & recentiorum non pauci memoriæ prodiderunt. In opio autem deeſt non ſolùm prima rerum amararũ proprietas, ſed etiam ſecunda, ſimpliciter ſiquidem amarum nõ eſt, ſed ſi exquiſitè guſtetur, acerbitatis particeps eſt, quâ ratione refrigerandi facultatem acquirit. Quòd autem amaritudo manifeſtiùs percipitur, quàm acerbitas, id fit, quoniam amaritudo, quę nobis eſt adverſiſſima, acerbitatem reprimit & occultat, quemadmodum Galenus lib.4.ſimpl.med.cap.8. inquit, duos interdũ ſapores uni rei ineſſe, adeoq; unum alterum obſcurare, quaſi nõ ſit, cùm tamen revera ſit & ſimul operetur. Idem fatetur Eraſtus in epiſt. ad Monavium, Non omnia, inquit, quæ guſtus non percipit calida & frigida, talia revera non eſſe: ſapor enim alium ſaporem obfuſcat, ut non ſentiatur, quamvis plurimum adſit, quemadmodum in opio amaritudo tegit ſaporem partium refrigerantium. Cichorium quod attinet,

variæ

variæ ſunt illius ſpecies, quæ in domeſticas & ſylveſtres dividuntur. Domeſticæ minùs ſunt amaræ, plurimumque humiditatis habent, ſicut ipſa endivia: Sylveſtres verò amariores ſunt & ſicciores. Hinc fit, ut domeſticum cichorium, licet amarum ſit: propter nimiam tamen illius humiditatem vis & facultas calefaciendi in eo impediatur. Sylveſtris autem cichorii ſpecies, cùm majorem amaritudinem & ſiccitatem manifeſtiorem habeant, ſine dubio aliquid caloris retinent. Quòd autem & ipſæ hepar refrigerare creduntur, id ex accidenti fieri dixerim. Conſtat enim, qui calidâ hepatis intemperie laborant, eos variis opilationibus obnoxios eſſe, quibus per cichoracea apertis & ablatis obſtructionibus, factaq; liberiore tranſpiratione hepar ipſum ex accidenti liberiùs ventilatur & refrigeratur.

QUÆSTIO LXXXIV.

An omnia narcotica ſint frigida? C. N.

QUanquam veriſſimum ſit axioma, Sublatâ causâ tollitur effectus; attamen tanta ſæpè eſt doloris immanitas, ut niſi extraordinariè doloris causâ quaſi neglectâ, ad demulcendum & tollendum effectum ſeu affectum, omnes ingenii vires conferamus, vitalis facultas, teſte Avicenna deſtruatur, & æger in præſens vitæ discrimen conjiciatur. Remedia verò quæ ad demulcendum dolorem nata ſunt, anodyna nominantur; quæ qua-

litatem habent optimè temperatam noſtroque corpori perſimilem,atq; in primo gradu calidam cum partium tenuitate, ut dolorem æquabilem reddant, corporis ſubſtantiam foveant atque demulceant, ut ſunt althea, chamemelũ, malva &c. Quæ verò dolorem planè tollunt, narcotica vocantur; quæ ſtupefaciendo partem dolentem inſenſilem & ſtupidam reddunt, ut de affectu judicare nequeat: Circa hæc quæſtio moveri poteſt, an omnia ſint frigida, vel quædam etiam calida.

Galenus libr.12.meth.c.1. & libr.13.meth.c.ult. ea duntaxat ſimplicia narcotica vocat,quæ frigida ſunt, adeoque illorum uſum in doloribus à materiâ calidâ, acri & mordenti cauſatis, maximè convenire aſſerit;in doloribus verò à materia frigida ortis,non ſine periculo adminiſtrari; narcoticorum calidorum nullam mentionem faciens. Libro tamen 5. de ſimpl.fac. cap.19. ad narcotica etiam refert, ſtyracem, myrrham & crocum, quæ omnia ex Medicorum ſententia calida ſunt. Sic Ægineta lib.3.c.78. crocum etiã narcoticum facit. Actuarius verò rutam ſylveſtrem,juncum odoratum, cinamomum aliaque calida plura, narcotica nominat. Huc accedit Plinius lib.2.naturalis hiſt. cap.7. pulegium in tertio gradu calidum, ad leniendos capitis & internorum viſcerum dolores compeſcendos, commendans, inquit, Pulegium propter eximias vires dolorem leniendi corollis loco roſarum adjiciendum eſſe. Denique Cardanus in lib. ſubtilit. haud veritus fuit affirmare, calida & humida dolorem lenire.

Et ſanè

Et ſanè ſi vini potentioris immodicè ſumpti, vel vini ſublimati effecta ſpectemus, facilè deprehendemus, etiam rerum calidiſſimarum uſum, ſtuporem inferre,& dolorem tollere atque obſcurare. Hoc verò duplici de causâ fieri poteſt. Prima eſt, quia prædicta calida & ſimilia plura vaporoſa ſunt, & cerebrum rationis mentisque domicilium petunt, obruunt & adeò gravant, ut ſui muneris obliviſcatur, nec dolorem percipiat, vel de eo judicare poſſit. Hinc eſt quod Hippocrates Aph.6.libr.2.inquit, Quibus mens ægrotat,ii dolorem non ſentiunt. Hoc ipſum confirmant ebrii, qui etſi cadant, vel verberibus tractentur, nullum dolorem ſentiunt,quamdiu vinum caput gravat. Alteram cauſam tradit Cardanus, dum aſſerit, ſuavem harmoniam muſicam dolorem lenire, eò quòd ſpiritus à loco dolente revocet, & per corpus diffundat atque diſpergat. Eſt enim ea ſpirituum conditio, ut ad partem malè affectam quaſi opem laturi confluant, & ſic dolorem ferè augeant. Distractis ergo ſpiritibus, pars malè affecta non parum recreatur. Hujus aſſertionis veritatem licet Scaliger exerc.348. explodat; nutrices tamen dolentes puerulos, rudi etiam ſylveſtri & incondito cantu, ſpiritibus aliorſum distractis, demulcere experimur. Quapropter dubium non eſt, quin & calida & quæcunque mentem obnubilant vel ſpiritus diſpergunt, dolorem quoque leniant.

QUÆSTIO LXXXV.

An ab externis plantarum ſignaturis de viribus & qualitatibus earum aliquid decerni poſſit? C. N.

EO dementiæ devenerunt aniculæ nonnullæ, ut in omni dolore punctorio, ſive pleuriticus ſit, ſive à flatibus, vel alia quacunque cauſa factus, ſtatim ad uſum herbarum ſpinoſarum & pungentium, occultâ proprietate puncturis ut putant, auxiliantium, veluti ad aſylum confugiant. Adeò ut non ſemel viderim, pleuriticos, laniorum cultros, quibus porci jugulantur, vel linteolum, quo vulnus porci punctim occiſi & jugulati demum obſtruitur, in potum conjicere, indeque contra pungentes dolores bibere. Sed excuſationem hujus delirii, ætatis & ſexus infirmitas forſan merebitur. Execrandum verò & abominandum eſt, quòd eorum non pauci, qui ſummi Philoſophi & Spagirici haberi volunt, non ſolùm in eodem verſantur errore, ſed editis quoque ea de re ſcriptis defendere conantur, externas plantarũ ſignaturas, occultas & abditas illarum vires & qualitates prodere. Ocymaſtrum propter geniculationes frequentes, doloribus articulorum prodeſſe ajunt: omnis generis nucleos & lapillos calculum expellere; crocum & lutea liliorum alborum ſtamina, morbo regio (quem Icterum vocamus) prodeſſe: flores roſeos eryſipelata curare: lacrymas è vite ſecta, tempore vernali effluentes, oculis conferre prædi-

prædicant. Quanquam autem hæc ridicula ſint & inepta, nullâque refutatione indigeant; poſito tamen, herbam ſpinoſam & aculeatam, E.G. carduum album, quem carduum Marię vocant, in pleuritide ſeu dolore punctorio conferre; id quod propter vim refrigerandi non eſſet impoſſibile, quia in pleuritide non minùs calor febrilis quàm dolor punctorius urget. Nondum tamen per ſignaturam aculeati cardui Mariæ liquet, an dolori punctorio à cauſa frigida exorto conferat. Cùm enim & calefacientes & refrigerantes dentur plantæ aculeatæ, itemq; calidiſſimi & frigidiſſimi morbi pungentes (nihil nunc dicam quòd ruſtici omnesque idiotæ, quemcunque dolorem indifferenter pungentem vocant, difficile enim ipſis eſt ſingulas dolorum ſpecies propriis nominibus efferre, unde etiam indifferẽter imperiti medicaſtri ad aculeatas herbas confugiunt) velim utique ut talis ſignatura nobis detur, quæ hanc plantam puncturis calidis, illam puncturis frigidis cõvenire, ſine errore indicet. Non minùs ridiculum eſt, quòd quercetanus, vir alioquin in arte Medica ſummus, refert, radicem ariſtolochiæ, propter cavitatem quam habet, uterum figurare eiq; prodeſſe. Quæſiverim hîc, cur cavitas iſta potiùs uterum quàm ventriculum æquè cavum referat; exponat porrò, an utero dislocato, calefacto vel refrigerato, vel obſtructo conveniat, ſignaturam iſtam mihi monſtret.

Ejusdem farinæ eſt quod Crollius ex chymicis non poſtremus de capitibus papaveris coronâ exornatis refert, quaſi manifeſtam capitis humani

ſignaturam habeant,& inde capitis affectibus mirificè proſint. Ego verò cum rationalibus Medicis contrarium ſtatuo. Præterquam enim, quòd papaver inſigni facultate refrigerandi, pluribus viſceribus eſt adverſum,& calorem nativum ſtrãgulat, accedit quòd cerebrum mentis & rationis domicilium, perturbat, deliria & quandoque epilepſiam excitat capitique adverſatur. Quod porrò idem author de plantis lacteſcentibus, ac proinde abundè nutrientibus,& lac in mamillis mulierum multiplicantibus, prodidit, non ſolùm fabuloſum dictique papaveris exemplo abſurdum eſt, ſed rationi quoque adverſiſſimum. Quicunque enim diverſas eſulæ ſpecies, lac manifeſtè fundentes, probè noverit, illas ipſas quoque extremâ acrimoniâ corrodendique & exulcerandi vi præditas eſſe, non ignorabit, eosque eſulæ eſu dignos judicabit, quicunqueplantas lacteſcentes probè nutrire& lac augere dixerit.

Quicquid deniq; veſicæ incluſum germinat, inquiunt ſignatores iſti, veſicæ urinariæ ſignaturam habet, expellendoq; calculo medicina eſt efficax, cujusmodi ſunt halicacabus & ſtaphylodendrũ. Sed cur quæſo veſicam potiùs urinariã quàm veſicam fellis repræſentant? Cur ſanguinei coloris veſica, qualẽ habet halicacabus, exſanguem veſicam urinariã figurat? Quid porrò de diverſiſſimis veſicæ affectibus ſentiẽdum, de ſcabie ſcil. dolore, omnis generis intemperie, urinæ præternaturali effluvio, ſtranguriâ,&c. Quid deniq; de caſtaneis, de glandibus, qui duplici triplicíve veſicâ ſeu involucro membranoſo conteguntur? Si ad expellendum

lendum calculum prodeſſe affirmaveris,in manifeſto & palpabili errore verſaberis.Jam ſi eas plantas conſideraverimus,quæ nullam partium humani corporis figuram habent, & tamen omnium horum quoq; ſignatorũ teſtimonio, epati quàm maximè proſunt,ut ſunt cichorium, acetoſa, lactuca, endivia, chondrilla, matriſylva, taraxacon, omnesque intyborum ſpecies;an in Deum injurii vel blasphemi erimus, incuſantes ipſum quòd nullum epatis veſtigium hisce & ſexcentis ſimilibus plantis impreſſit? Quid quod nec exitialibus venenis horrendam aliquam dedit ſignaturam,ut intuentes illam ceu Meduſæ caput, illa fugere & declinare poſſemus.

Haud igitur mente concipere poſſum,quâ neceſſitate,vel quo fine,nugaciſſimæ iſtæ plantarum ſignaturæ ſint excogitatæ,niſi fortè ſignatores iſti putent, faciliorem medicandi viam hoc pacto commonſtrari.Sed tum optãdum illis foret,ut ægrorúm quoq; corporibus, morború & partium morboſarum ſigna extrinſecus impreſſa exſtarent,aliter non video, quomodo cognitis plantarum viribus, morbis verò incognitis, medicatio inſtitui poſſit. Rectè enim Euripides in Belleroph. Qui morbos ignorat,& tamen medicatur, ſimilis eſt cæco qui viam ignorat & baculo eam inquirit.

Omiſſis igitur ſignaturis iſtis ridiculis & incertiſſimis, Galenum loquentem & de inveſtigandis atq; cognoſcendis plantarũ virib. contra Mneſitheũ c.61.li.2.de alim. fac.philoſophicè diſſerentẽ audiamus.Tutius eſt,inquit,guſtantem priùs atq;

olfacientem ſingulas plantarum partes per ſe explorare, poſteà experiri. Quandoquidem olfactus & guſtus cum odore & ſapore, omne plantarum temperamentum oſtendunt. Huic inveſtigationi rationali, ſi experientiam cum propriis limitationibus addideris, de facultate per rationem inventa minus dubitabis. Interdum etiam plantarum ſuccum ſeparatim exploramus, inquit Gal. quædam enim ſuccum habent aquoſum, alię craſſum, aliæ lentum & viſcoſum; quos ſuccos ſeparatim ſi guſtaveris, minus errabis, quidam enim ex ipſis ſunt acres, aut acidi, aut amari, aut ſalſi, aut auſteri, aut acerbi; alii inſipidi, alii dulces.

Inventis igitur cognitisque plantarum ſaporibus, difficile non erit de qualitatibus veriſſimam pronuntiare ſententiam. In ſcholis ſiquidem phyſicorum & Medicorum citra controverſiam per rationes infallibiles & multiplicem tot ſeculorum experientiam conſtitutum eſt & receptum, omnia acria, amara & ſalſa eſſe naturę calidę; omnia acida, acerba & auſtera, eſſe frigida; dulcia verò, pinguia & inſipida, temperata. Hoc immobili fundamento poſito ſingulis morborum & temperamentorum exceſſibus longè certiora inveniemus remedia, quàm per nugaciſſimas illas plantarum ſignaturas in ſummum artis Medicæ contemptum, absque ullo humanæ rationis judicio confictas.

QUÆ-

QUÆSTIO LXXXVI.

An imaginationis tanta vis & potentia ſit, ut corpus immutare poſſit? A.

QUi omnem facultatem & potentiam alterandi & immutandi corpora, imaginationi derogant, in naturæ operibus parum exercitati non immeritò videntur. Tanta ſiquidem illius potentia, tàm ex Chriſtianorum quàm Ethnicorum ſcriptorum monumentis convincitur, ut non ſolùm in propria ipſorum imaginantiũ corpora, ſed aliena etiam vires & effecta extendat. In propria quidem imaginantium corpora, vires imaginationis tantæ tamque efficaces ſunt, ut Benshemii Electoralis Palatinatus oppido Anno 1591. ancillam in hoſpitio ad arcum aureum ex falſa perſuaſione in peſtem incidiſſe viderim, eò quòd nocte quadam viatorem ægrum, curru advectum, morientem viderat, ſibique quòd peſte obiiſſet, firmiſſimè perſuaſerat, cùm tamen nulla peſtis lues tum temporis uſpiam graſſaretur. Hæc verò ancilla cùm trium vel quatuor dierum ſpatio moreretur & parentes ex ſylva Ottonica veſtes relictas petitum venirent: fomentum quoque peſtis, quod mireris, ſimul deportarunt. Quòd ſi huc plures caſus eorum referre animus eſſet, qui ex repentino aliquo terrore & falſa perſuaſione ſeu imaginatione, in cæcitatem, canitiem, claudicationem, ipſamque mortem inciderunt, juſto

prolixior forem. Quid autem aliud eſt terror, quàm firmiſſima alicujus mali imaginatio ſeu perſuaſio? vel, ut Cæl. Rhod. l. 20. & 15. inquit, phantaſiæ effectus? Hadrian. Junius c. 10. de com. refert, Hiſpanum nomine Didacum, amore puellæ aulicæ captum, communicato priùs cum ea conſilio, quòd ſub arbore patula, intra regii horti ſepta illam præſtolari vellet, catelli latratu proditum & ad capitis ſupplicium ſubeundum, condemnatum, ita exhorruiſſe, ut unica nox & juvenem & ſenem incanum viderit. Quo ſpectaculo motus Ferrandus Hiſp. Rex capitalis legis rigore in clementiam converſo illum abſolvit, dictitans, ſatis pœnarum dediſſe, qui præmaturam ſenectutem cum flore juventæ permutaſſet. Hujus immutationis cauſam Petrus Hiſpalenſis, imaginationi, in præſentiſſimum mortis genus defixæ, rectè aſſignavit. Sed his omiſſis conſideremus imaginationis vim, quæ in aliena corpora ſeſe extendit, quæ ſanè ut eſt veriſſima, ita omnem fermè captum humanum ſuperat. Vulgo notum eſt illud patriarchæ artificium, quo oves varicolores effecit. Idem artificium Hiſpanos, in equis admiſſariis, effectu non irrito uſurpare, referunt. Conſtat etiam, pavones coëuntes, ovisque incubantes, ſi albo tegmine contegantur, albi coloris pullos excludere. Sic in procreatione hominis quantum imaginatio ad immutandum fœtum poſſit, quis ignorat? An non viſo Æthiope vel homine aliquo mutilato, aliterve deformato, Æthiopes, mutilati & deformati gignuntur? Cum primis autem memorabile eſt, quod refert Sabell. lib. 7. Enn. 9. ſub

Mar-

Martino I V. Pontific. Roman. illuſtrem fœminam pontifici neceſſitudine conjunctam, urſum peperiſſe, eò quòd ſtatuas & picturas urſorum frequenter conſpexiſſet; quo monſtroſo partu permotus pontifex, omnes urſorum imagines quæ in domo illius fœminæ fuerunt, dejici juſſit, edoctus, ſpecies in conceptione hominis intentè viſas, in lucem edi. Hinc eſt quod Alcippe apud Plin. lib. 7. cap. 3. elephantem: & ancilla in bello Marſico, ſerpentem edidit. Plures hujus ſortis monſtroſos partus literis conſignavit Lycoſthenes in opere prodig. Quanquam autem Mercatus lib. 3. de morb. mul. c. 7. neſcio quibus rationibus à Thoma Aquin. perſuaſus, difficulter in eam concedit ſententiam, ejusmodi monſtra univoca concipi vel in lucem edi poſſe: attamen cùm fateatur, æquivoca, hominem ſcilicet canino capite, ore leporino, pedibus porcinis, imaginatione in ejusmodi animalia defixa edi poſſe, haud aſſequor, cur imaginatio totum conceptum deſtruere non poſſit, cùm tot tantasque partes deſtruat. Sed demus Mercato, viro eruditiſſimo, infirmiorem eſſe imaginationem quàm ut monſtrum univocum gignat; conſtat tamen, permagnam eſſe illius vim & potentiam ad immutanda corpora, etiam aliena. Sola imaginatio, inquit Plin. cauſa eſt quòd plures in hominib. quàm beſtiis formarum mutationes & diverſitates cernuntur: velocitas enim & vehementia cogitationum, animique & ingenii varietas, multiformes illas notas imprimit. Idem ſenſit Cicero in Quæſtion. Tuſcul. Similitudo magis, inquit, apparet in beſtiis, quarum animi rationis & cogitationis

ſunt expertes. Hujus imaginationis vim, quâ beſtiæ deſtituuntur, intellexit Hippocrates, quando fœminam propter editum filiolum, nullatenus parentibus ſimilem, à ſuſpicione adulterii liberavit, quòd picturam elegantiſſimi pueri in cubiculo parentum deprehendiſſet, innuens, tantam eſſe imaginationis vim, ut deformes parentes, formoſos filios; & formoſi, informes non rarò gignant.

Sed objiciat hîc aliquis, Si tanta eſt imaginationis vis & potentia, quî fit, quòd melancholici, qui pertinaciſſimè ſibi perſuaſum ſæpè habent, ſe vaccas, lupos, canes vel aliud quid eſſe, tale non fiunt quod ſibi firmiſſimè imaginantur? Annon Nabuchodonoſor tantopere ſibi perſuaſerat ſe bovem eſſe, ut etiam boum more, gramina campi depaſceretur? tamen nemo, ut opinor, verè dixerit, quòd in bovem trãsformatus fuerit. Hîc verò diſtinguendum inter totalem & aliqualem animalis deſtructionem vel immutationem. Totalis immutatio vel mutilatio non niſi in utero, & quidem primis conceptionis & formationis diebus, fieri poteſt; tum ſiquidem tẽporis, facultas πλαστικὴ valida eſt, & materia ad recipiẽdas varias formas per fortem imaginationem conceptas, apta & idonea. Poſtquam verò conceptionis & conformationis tempus præteriit, & membra omnia effecta & roborata ſunt, totalis animantis deſtructio, immutatio vel mutilatio fieri nequit. Hujus rei probationem non ſolùm ex rerum natura & poſſibilitate, ſed ex S. quoque ſcriptura deſumo. Codex ſiquidem biblicus expreſsè dicit, Jacobum

tum

tum temporis baculum variis coloribus diſtinctum, ovibus potatum venientibus appoſuiſſe, quando arietes illas inibant, tempore ſcil. conceptionis & formationis. In errore igitur verſatur Levinus Lemnius occultorum naturæ miraculorum ſcriptor l. 4. cap. 7. exiſtimans, tales immutationes & ſignaturas toto geſtationis tempore, etiam in partibus perfectè elaboratis & abſolutis accidere poſſe, eò quòd ſubinde humor aliquis, partibus etiam abſolutis affluere, maculasque vel carnis etiam excreſcentias generare poſſit. Verùm hac in parte dixerim, leviores & ſuperficiales ſignaturas, toto forſan geſtationis tempore, potiſſimùm tamen, primis formationis diebus fieri poſſe: totalem verò deſtructionem vel mutilationem membrorum, aliasque graviores & enormes ſignaturas, non niſi formationis tempore naturaliter accidere. Sed huic reſponſioni obſtat hiſtoria in martyrologio deſcripta, quæ ſic habet. Cùm reformatæ religionis confeſſores crudeliter in Belgio tractarentur, accidit ut quædam ſexagenaria Ludovica Kinkenpoſt ann. 1568. propter puræ religionis confeſſionem ad ſupplicium traheretur; cumque cognata illius, partui vicina, ſignum campanæ audiret & prædictam Ludovicam ad ſupplicium rapi videret, tanto terrore fuit concuſſa, ut poſt tres ſeptimanas fœtum maturum in lucem ederet, cujus tamen cervix ultra medietatem quaſi ferro reciſa & disſecta propenderet. Sed ad caſum iſtum ſic reſpondeo, illum minimè naturaliter, ſed præter naturæ ordinem, Deo ſic volente & gubernante factum eſſe, ut im-

manitatis & crudelitatis pontificiæ exemplum ad omnem poſteritatem extaret.

QUÆSTIO LXXXVII.

An medico liceat partum abigere?

C. N.

CReſcite, inquit S. ſcriptura, multiplicamini & implete terram. Divinū hoc præceptum Onan contemnens & fratri ſemen exſuſcitare nolens, à Deo fuit percuſſus. Hinc in conſiderationem feror, an medico liceat conceptum per pharmaca vel quamcunq; aliam artem excutere vel ejicere. Hippocrates quidem Medicorum anteſignanus, licet diſcipulos ſuos juramento obſtringeret, ne unquam mulieri ad corrumpendum vel ejiciendum conceptum, talum ſubditicium, peſſum vocant, adhiberent; tamen ipſe hujus juramenti oblitus fuiſſe videtur lib.2. epid.ſect.2.ubi docet, corruptionem maſculi ſexaginta dierum, ſalubrem eſſe. In libro etiam de natura pueri refert, quomodo Pſaltriæ conceptum ſex dierum ejecerit. Non minùs Galen.in l.de med.fac.parab. cap.50. Orib.l.4.loc.aff.c.114. Marcel.c.30. Aët.l.1. & l.4.ſerm.4. medicamenta tradunt, quibus talis corruptio vel ejectio fieri debeat. Verùm pro defenſione Hippocratis nonnulli diſtinguunt inter corruptionem quæ fit per medicamenta, & eam quæ fit per ſaltum. Hippocratem prohibuiſſe ejectionem per medicamenta, alteram minùs. Sed hęc excuſatio puerilis eſt & inepta. Alii igitur Hippocratem haud approbaſſe corruptionem & eje-

ctionem

ctionem conceptus;iis tamen,qui conceptum omnino excuſſum volebant, modum oſtendiſſe quomodo excuti poſſit. Locum in 2.epi. quod attinet,dicendum,neq; librum iſtum,neq; illum de natura pueri,Hippocratis eſſe, vel ſi Hippocratis ſint, docuiſſe eum, periculo plenum eſſe,ſi quis velit conceptum fœtus maſculini poſt diem 60.à facta conceptione excutere; eò quòd non ſolùm conceptus tum temporis ſit animatus, ſed etiam quia citra matris periculum excuti non poſſit. Vel dicendum, veteribus perſuaſum fuiſſe, licere conceptum nondum animatum quacunque ratione excutere,animatum verò minùs. Præterea Avicenna hanc quoque excuſationem profert, eſſe nimirum tres caſus in quibus conceptum vel impedire vel excutere liceat. Primus caſus eſt,quando mulier tenella eſt vel debilis complexionis,ut metuendum ſit,illam ad ſuſtinendos pariendi labores non ſuffecturam,ſed interituram, id quod ex teſtimonio Ariſtotelis l.7. polit. c.16. mulierib. Træzenorum frequenter,nec raro etiam noſtris regionibus accidere compertum eſt. Secundus caſus,quando uterus mulieris morbo aliquo afficitur, ut metuendum ſit, ne ſuperveniente partu, de vita matris ſit periclitandum , ac proinde meliùs eſſe ut ejiciatur partus antequam grandior & ad excludendum difficilior evadat. Tertius, quando veſica, cui fœtus quaſi incumbit, admodum debilis eſt, ut propter pondus , ruptura & mors ſit pertimeſcenda matri. Præter hæc omnia ad defendendum & excuſandum Hippocratem aliosque veteres , dicendum,

dominos in illo tempore habuiſſe poteſtatem vitæ & necis in ſervos. Pſaltria verò fuit ſerva, cujus domina petiit ab Hippocrate ut fœtum ejiceret, cui petitioni Hippocrates ſibi ſatisfaciendum eſſe putavit. Verùm qui in pietatis ſchola edocti ſunt, divinorum operum gubernationem & providentiam agnoſcunt, eiq; adſcribunt, cui debetur, Deo nimirum, qui in debilibus etiam ſi unquam aliâs, certè partus tempore, potenter & miraculosè operatur, omniaque ad divini ſui nominis gloriam dirigit. Quapropter non ſolùm ii graviter peccant, qui factam conceptionem, ſive ſit animata, ſive inanimata, excutere, ſed etiã qui ſterilitatem ſibimetipſis vel aliis conciliare conantur; re ipsâ ſiquidem declarant, ſe divinæ omnipotentiæ & ſapientiæ diffidere & expreſſo Dei verbo reluctari. Si ergo Onan qui ſemel duntaxat ſemen in terram effudit, à Deo fuit percuſſus; quid de iis futurum putabimus, qui perpetuam ſibi ſterilitatem conciliant?

QUÆSTIO LXXXVIII.

An hominibus, ut cæteris animantibus, certum ſit pariendi tempus? C. N.

COnſtat animalia bruta certum & definitum pariendi, fœtumq; excludendi tempus habere. Sus enim poſt quartum à conceptione menſem, capra poſt quintum parit: cerva octo menſibus: camelus & mula duodecim: elephas biennio,

teſte

teſte Ariſtotele, fœtum naturaliter in utero gerit. Hinc veriſimile videtur, nec homini indefinitum aut incertum pariendi tempus fore. At verò circa partum humanum non dierum tantùm, ſed menſium aliquot varietas incidit, ut rectè dixerit Ariſtot. lib. 7. hiſt. an. ſoli homini incertum, varium & indefinitum pariendi terminum conceſſum eſſe. Sin dixeris, incertitudinem iſtam ex falſa perſuaſione, vel inepta mulierum computatione provenire; cùm enim ſoli homines certum coëundi tempus, aliorum animantium more, non obſervent, fieri, ut fœminæ conceptionis tempus obſervare, ac proinde certum pariendi terminum, computando minimè invenire poſſint. Reſpondeo, quanquam fœminæ propter dictam rationem in computandis pariendi diebus plurimum fallantur, multis tamen modis, non ſolùm fidâ honeſtarum matronarum relatione, ſed variis etiam caſibus forte fortunâ incidentibus, nec non firmiſſimis rationibus & demonſtrationibus, hactenus obſervatum fuit, ſolius hominis partum, definitum tempus non habere. Conſtitutum interim & receptum eſt, ante menſem 7. & poſt 11. fœminam naturaliter parere non poſſe. Septimum equidem menſem quod attinet, habemus auctoritatem Hippocratis, qui non ſolùm obſervavit mulierem 7. menſe parere poſſe, ſed firmas etiam demonſtrationes attulit, ſeptimeſtrem partum naturalem & legitimum eſſe. Hujusmodi partus exemplum Lemnius de oc. naturæ miracu. recenſet, & diligens

obſervatio plura ſuppeditat. Octavum menſem quod attinet, expreſſa quidem eſt Hippocratis ſententia in lib. de carnibus: Octavo menſe natum nunquam vixiſſe, quaſi dicat, mulierem octavo menſe parere poſſe, ſed non vitalem eſſe partum. Huc forſan reſpiciens Gellius lib. 3. noct. Att. cap. 16. inquit, medicos ſtatuere, neminem octavo menſe naſci. Valleſius quoque in com. lib. 3. Epid. ſect. 3. inquit, Si quis octavo menſe editus dicatur, credibile eſt matrem conceptionis tempus ignoraſſe. Contrarium verò prodidit Ariſtoteles hiſt. nat. cap. 44. octavo menſe apud Ægyptios editos vitales eſſe. Ipſe quoque Galenus com. I. in 6. Epid. tex. 2. eos multum errare dicit, q i menſem octavũ pro legitimo & naturali pariendi termino non agnoſcunt. Sic Marſil. Ficinus in principio lib. de vita cælit. inſtit. auctor eſt, vitalem partum Florentiæ octavo menſe editum eſſe. Idem teſtatum reliquit Varro lib. 14. divin. & Plin. lib. 7. cap. 5. ubi Cæſoniam Caji principis uxorem octavo menſe editam commemorat. Accedit his omnibus Cæcilius Poëta Comicus, inquiens:

Inſolétne mulier decimo menſe parere?
Pol nono, etiam ſeptimo atq; octavo.

Ad tollendam igitur hujus partis diſcrepãtiam, diſtinguendum inter partum utplurimum ſic editum, & eum qui rariſſimè vitalis editur. Varro inquit, vitalem partum octimeſtrem, quaſi monſtrum Romæ habitum fuiſſe. Deinde fieri poteſt, ut partus edatur in fine octavi menſis, quem Galenus pro vero octimeſtri, Hippocrates autem, quia

quia finis octavi menſis à principio noni, parum abeſt, non pro octimeſtri ſed pro nonimeſtri partu agnoverit.

Circa noni & decimi menſis partum omnes conveniunt, quin imò nonum menſem ceu communiſſimum & uſitatiſſimum pariendi terminum conſtituunt. Quod Ovidius etiam l.10. met. intellexit, inquiens:

Conjugio, quod fecit, adeſt dea, jamq; coactis
Cornibus in plenum novies lunaribus orbem
Illa Paphum genuit, de quo tenet inſula nomen.

Decimi verò menſis meminit Vergilius:

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes,

quaſi illo tempore partus in menſem decimum naturaliter incidere conſueverit. Ejusdem ſententiæ fuit Terentius in Adelph. *Gravida facta eſt, menſis hic eſt decimus.* Plutarchus etiam in vita Antonii memoriæ prodidit, mulieribus ante 10. menſem à morte maritorum nubere non fuiſſe conceſſum. Accedit Hippocrates lib. 5. Epid. tex.13. & lib. de natura pueri; ubi menſem decimum pro legitimo & naturali pariendi tempore recipit.

Undecimo autem menſe mulierem naturaliter parere poſſe, negarunt quidam Jureconſulti. Gellius tamen auctor eſt, Adriani imperatoris tẽpore, Romæ fuiſſe mulierem honeſtis moribus, nec ambiguâ pudicitiâ, quæ undecimo mẽſe poſt mortem mariti peperit, in quo caſu imperatorem, conſideratis medicorum decretis, partum pro legitimo pronunciaſſe. Nec movere nos debet quod Hippocrates in lib. de natura pueri, de

octimeſtri & ſeptimeſtri partu, lib. de carnib. & lib. 5. epid. in hiſt. mulieris Lariſſæ, circa undecimum menſem varius fuit: Conſtat enim, ipſum quandoque menſes Græcos, quandoque menſes lunares reſpexiſſe, quod aliquam diverſitatem parere poteſt. Cæterùm præter dicta pariendi tempora, etiam duodecimi menſis ratio ab Homero habita fuiſſe legitur Odyſ. λ. ubi inquit:

> *Χαῖρε γύναι φιλότητι, περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ*
> *Τέξεις ἀγλαὰ τέκν' ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ*
> *Ἀθανάτων.*

Gaude ô mulier amicitiâ iſtâ, ſed ubi tranſierit annus, procreabis liberos elegantes, quia deorum cõcubitus non ſunt vani & irriti: quaſi dicat, per duodecim menſium ſpatium uterum geres. Præterea Plinius lib. 7. c. 5. fœminam quandam menſe decimotertio filium peperiſſe recenſet.

Avicenna quoque auctor eſt, partum menſe decimoquarto editum fuiſſe. Denique in Chronico Mansfeldico legimus, mulierem quandam per biennium gravidam, tandem puerum feliciter peperiſſe. Quamvis autem hujusmodi partus monſtroſi & præternaturales videantur, tanta tamen eſt rerum naturalium amplitudo & poſſibilitas, ut fides his rebus naturaliter etiam contingentibus, derogari non poſſit. Experimur, ne centeſimæ cuique fœminæ, menſe exactè abſoluto, menſtrua profluere: Uterus enim prout corpus diſpoſitum eſt, menſtruorũ expulſionem, per dies ſaltem aliquot anticipat vel tardiùs excernit. Deinde quemadmodũ unius ejusdemq; ſpeciei fructus in diverſis arborib. diverſis temporib.

ad ma-

ad maturitatem perveniunt; ſic in utero inæqualis fœtus formatio & perfectio fieri poteſt. Quemadmodum etiã ſemen tritici diverſis agris ſatum, quibus nec idem fundus, nec idem ſolis acceſſus vel aſpectus inæquali temporis ſpatio, præſertim, quando ſeminis quædam fuit diſſimilitudo, germinare videtur. Sic uteri ſeminiſque in uterum conjecti eadẽ conditio eſſe poteſt. Hinc minimè dubitandum, uterum frigidiorem, accepto potiſſimùm ſemine minùs elaborato, fœtum longiore tempore, calidum verò uterum, accepto ſemine meliùs elaborato, breviori tempore excludere: medio modo uterus bene temperatus & diſpoſitus ad ſemen fœcundum ſe habebit. At, inquis, cur eadem varietas in cæteris animantibus non apparet, cùm easdem ob cauſas incidere poſſit? Reſpondeo, cùm cætera animantia non ſolùm in cibo & potu magis ſibi temperent, maxima verò ſit hominum intemperantia & luxuria; fieri poteſt, ut circa conceptum & geſtationem hominis, tales errores & varietates incidant, quas reliqua animantia minimè patiuntur. Cum Galeno igitur c. 1. de form. fœt. concludo, homini certum pariendi terminum non eſſe.

QUÆSTIO LXXXIX.

An oſſa pubis & ilium in partum diſtrahantur? C. A.

NOn ſine cauſa Medæa apud Euripidẽ dixit, ſe malle in acie dimicare, quàm ſemel parere.

Ariſtoteles enim libr. 7. de hiſt.an. cap. 9. præter quotidianam experientiam ſolum hominem in partu omnium maximè laborare prodidit. Hisce pariendi laboribus & difficultatib. propter lapſum & transgreſſionẽ mandati divini, omnes omnino parturientes ſunt ſubjectæ. Fabuloſum igitur eſſe videtur quod Plutarchus in vita Ciceronis tradidit, ipſum nullis uteri anguſtiis vel doloribus à matre in hanc lucem editum eſſe.

Inquiramus autem hoc loco, an oſſa pubis vel ilii in partu diducantur vel aperiantur.

Huic diductioni reclamat Cordæus com. 1. in Hipp. de morb. mul. eosq́; falsè deridet, qui diductionem horum oſſium in partu fieri ſtatuunt. Sed hic ipſe Cordęus mox ſui oblitus in con. 4. fatetur, tantum parturientibus dolorẽ concitari, ut coxæ, ſtrictioribus vinculis cum oſſe ſacro connexæ ab invicem abducantur. Columbus quoq; illorum ſententiã, qui dictorum oſſium diductionem defendunt, riſu potiùs quàm reprehenſione dignam eſſe judicat: præter firmiſſimum n. iſtorum oſſium coalitum ad diductionẽ ineptum, etiam rationem aliquam adducit forſan nõ contemnendam. Obſervatione fidâ cõſtat, inquit Columbus, oſſa prædicta, pelvim, ad excipiendum uterum & veſicam conſtituentia, tã ampla eſſe, ut ſceleto aliquo viſo ſtatim dignoſcatur, an fœminæ vel maris ſceletum ſit: Sine dubio eum in finẽ patentiora & ampliora iſta oſſa facta ſunt, ut ad transmittendum fœtum ſine alia ulteriori diductione ſufficiant, alioquin fruſtra iſta oſſium differentia facta eſſet in ſexu fœmineo.

Accedit

Accedit Laurentius, Mulierculæ, inquit, firmiter credunt, pubis & ilii oſſa tempore partus divelli. Sed deliramenta ſunt; oſſa ſiquidem pubis per ſynchondroſin ita exquiſitè uniũtur, ut nullâ vi, nulloq; impetu divelli poſſint. Quòd ſi divulſionem ſemel paſſa fuerint, quo medio copulabuntur, quo glutine unientur?

Contrarium ſentit Hipp. in lib. de natura pueri: In partu, inquit, univerſum dolet corpus, maximè verò lumbi & coxendices, nam diſtrahuntur & diducuntur, (Cornarius vertit, *diſparantur.*) Idem ſentit Avicenna lib. 3. Fen. 21. text. 1. c. 2. Quando fœtus ſeparatur, tũ aperitur matrix tali apertione, cujus ſimilem efficere non valet in alia hora: Et neceſſarium eſt, ut ſeparentur quædam juncturæ, & ſuſtententur adjutorio Dei excelſi.

In hac controverſia audiamus celeberrimi & ſagaciſſimi Anatomici Bauhini, Baſilienſis, quem honoris & amoris debiti ergò frequẽter nomino, ſententiam. Anno, inquit, 1579. in mulieris annos 24 natæ, quæ decima à partu die ob interfectũ fœtum, laqueo vitã finivit, anatomia Lutetiæ habita, quæſtio fuit mota; An in partu oſſa pubis & ilii, hæc ſcilicet ab oſſe ſacro, illa verò ab invicem diſtrahantur, nec ne. Dubium hoc pacto fuit ſolutum: cadaveris alterutrum femur ſublevatum fuit, cute adhuc integrâ, ibi os pubis ejusdem lateris ſupra alterius lateris oſſe, medii pollicis latitudine eminebat: Altero quoq; femore elato, illud quod priùs eminebat, inferiùs conſpiciebatur, quod oculis & digitis veriſſimum omniũ eſſe, deprehenſum fuit. Idẽ obſervavimus Baſileæ ante annos 12. cùm nobilis matronæ Gallæ ventrem,

quæ ob ſecundinas retentas obierat, pluribus adſtantibus aperiremus. Hæc Bauhinus. Neque omittendum hoc loco arbitror vetuſtiſſimi cujusdam ſcriptoris judiciũ, de quo prænominatus Bauhinus ſic refert. Ex commentariis Zoar, Rabi Simeonis, Ben (i.e. filii) Joachai in c.1. Exodi verba. Haud facilè quicquam aliud magis mirandum, in tota rerũ natura reperias, quàm distractionem illam oſſis pubis, quæ fit in parturientibus, magno juvamento naturæ, ſeu potiùs providentiâ quadã Dei, cui natura miniſtrat. Hæc Zoar, qui ante mille quingentos annos vixiſſe fertur. Hanc ipſam distractionis ſententiam prolixè tuetur Pinæus in libello Anat. Nec certè aliter partus, ſi ad naturales iſtorum oſſium anguſtias reſpiciamus, ſine diductione in lucem prodire poterat. Rectè enim Ariſtot. lib. 4. de part. an. c. 9. omnes pueros, nanos vocat, eò quòd habeant caput, proportione reliqui corporis, maximum, præſertim quamdiu in utero continentur. Cùm verò in naturali partu caput primùm in lucem prodeat, apparet quàm ſit impoſſibile, ſine diductione oſſium pubis & ilii in lucem naſci.

Neque Columbo patrocinatur, quod dicit, ſufficere ad partum, quòd oſſa iſta pelvim afformantia latiora & ampliora ſint in ſexu fœmineo. Id enim ſine dubio factũ, ut toto geſtationis tempore, tam uterus fœtu extenſus, quàm veſica & inteſtinum poſtremum, in eodem antro ſeu pelvi locata, commodè exciperentur. Deinde, ne in partu nimis magna oſſium diſtenſio requiratur.

Si enim

Si enim ſola oſſiũ amplitudo ſuffeciſſet ad transmittendum fœtum, ad quid opus erat oſſa illa intercurrente cartilaginoſo nexu utrinq; distermінare? Niſi ut aliquando urgente partu ab invicem diſcedere, iterumque excluſo partu coire poſſint. Hinc certè eſt, quòd multas poſt difficilem partum claudicare videmus, quibus vel oſſa illa nimium fuerunt diducta, vel ritè non reducta & unita.

Modum diſtractionis quod attinet, quanquam ſoli Deo notiſſimus ſit, de quo Propheta regius David inquit, Tu extraxiſti me ex utero matris meæ, tamen quantum mente concipere poſſum, exiſtimo, idem cartilaginoſo iſti nexui accidere, quod in mirando bombycis opere, non ſine ſtupore multoties in Italia vidi. Vermiculus ſiquidem iſte tempore vernali foliis mori nutritus & exſatiatus, relicto pabulo, telam ſericam texere incipit, ſeque texturâ propriâ adeò involvit, & validiſſima membrana coriacea figurę ovalis obvallat, ut nullâ digitorum vi diffringi, & vix ferro disſecari poſſit. Jurares bombycem nunquam inde exituram. Attamen poſt aliquot ſeptimanas altera membranoſi corii extremitas, ſaliva ex ore bombycis intrinſecus emollitur, & bombyx quæ vermiculi figurâ ingreſſa erat, alatæ aviculæ vel papilionis formâ, per locum ſalivâ emollitum & relaxatum ſine labore prodit, ſtatimq; in coitum ruit. Sic forſan humiditas aliqua, quâ uterus toto geſtationis tempore quaſi obruitur, oſſium connexum, divinâ gubernatione ita emollire & relaxare poteſt, ut fœtui egredienti minimè reſiſtat.

QUÆSTIO XC.

An renes ſint generationis organa? A.

PLeroſq; S. literarum interpretes, renes generationis organa conſtituere, eaq́; in re à Medicis diverſum ſentire video. Nam lib. Reg. c. 8. v. 19. ubi Salomon ex lumbis Davidis egreſſus dicitur, vulgatus interpres vertit, *ex renibus*, deinde Pſalm. 7. verſ. 10. & Jerem. c. 11. v. 20. & alibi Deus dicitur probare corda & renes; ibi per cor cogitationes, per renes verò affectus & cupiditatem generandi Theologi intelligunt. Sic Levit. cap. 3. ubi Deus mandat, ut renes & omnis pinguedo ipſi offeratur, & ne ſacerdotes illa comedant; ibi interpretes annotant, ſacerdotes ita curare debere ſuum corpus, ne laſciviant &c. quaſi renes occultâ vi pruritum amoris excitent. At verò ſi ſtructuram corporis humani & ſingularum partium uſum & miniſterium examinemus, tale quid renibus tribui vix poterit.

Primùm ſiquidem clarum eſt & evidens, renes factos eſſe, ut ſanguinem ab aquosâ & ſerosâ humiditate liberent, eamq́; inſitâ facultate per venas emulgentes ad ſe pertrahant, & poſtea per conſpicuos ductus, quos ureteres vocant, ad veſicam urinariam deferant, & ſic totius corporis nutrimentum, ſanguinem ſcilicet paulò craſſiorem reddant. Sanguis enim ut ad alendum aptus reddatur, tres conditiones requirit. Prima eſt, ut ſit dulcis. Omnia ſiquidem dulcia probè nutriunt, ut è contrario omnia amara ad nutritionem ſunt inepta.

inepta. Secunda, ut ſit ab omni fece terreſtri purus. Tertia, ut ſit mediocriter craſſus: Fluidus enim & aquoſus parum nutrit. Ad conſequendã primam conditionem, fabricata eſt veſicula bilis; quæ humorem amarum, bilem ſcil. flavam ad ſe allicit. Secundam conditionẽ perficit lien, humorem terreſtrem & melancholicũ ad ſe rapiens. Tertię conditioni ſerviunt renes, humorem aquoſum ad ſe alliciendo, & ſanguinem paulò craſſiorem reddendo. Hinc clariſſimè convincitur, renes ad ſeminis vel hominis generationẽ nihil conferre, eò quòd ſemen non ab aquoſo ſanguine à renib. attracto, ſed ab optimo & p̃ſtantiſſimo deciditur. Ab hac igitur Medicorũ ſententia qui recedit, is medicinæ fundamẽta evertere videtur. Huc referamus animalia pennata & ſquamata; quæ teſte Ariſt. lib. 4. de part. an. c. 1. ipſaq; experiẽtiâ aſtipulante, renibus deſtituuntur, & tamen ſui ſimilẽ ſpeciem generãt. Præterea ſi renes eſſent organa generationis, tum notabilem aliquẽ conſenſum cum teſtibus, primariis generandi organis, haberent. Talis verò conſenſus vix dari poteſt. Dexter ſiquidẽ teſtis per dextram venam ſeminalẽ è dextro venæ cavę latere, ſiniſter verò è ſiniſtra vena emulgente; ille quidem ſanguinem purum, hic verò paulò acriorem prurientem, & ad generandum exſtimulantem materiam generationis acquirit.

Sed ut vera ſunt iſta omnia, pro Theologis tamẽ non ſine ratione reſpondemus, renes, pótiſſimùm verò ſiniſtrũ, ad generationem plurimũ conferre. Primùm n. inæqualis venarum ſeminaliũ exortus procul dubio fruſtra factus nõ eſt, ſed ideo potiùs,

ut ſeminalis vena dextra, venæ cavæ inſerta, ſanguinem purum, ſeminis ſcil. materiam; ſeminalis verò ſiniſtra, venæ emulgenti juxta renē ſiniſtrum implantata, ſanguinem multâ ſalſedine aquosâ dilutum, ad excitandum ὁρμὴν & generationis ſtimulum ſubminiſtret. Siniſtra igitur vena ſeminalis juxta renem ſiniſtrū poſita, à calore renis iſtius incaleſcit, unde generandi facultas exſtimulatur, & in actum impellitur; Neque hoc loco rationem admittendam eſſe cenſeo, quam nonnulli Anatomici inæqualis venarum ſeminaliū exortus comminiſcuntur, quaſi nimirum tutum non fuiſſet, ſi vena ſeminalis ſiniſtra ex ſiniſtro venæ cavæ latere prodiiſſet; eò quòd ab arteria magna juxta ſiniſtrum venæ cavæ latus, deſcendente, & indeſinenter pulſante, periculum fuiſſet, ne vena ſeminalis arteriam transiens disrumperetur. Quis enim Anatomiæ peritus ignorat, ubique ferè per totum corpus venas longè teneriores juxta arterias ſine ullo rupturæ periculo excurrere? Verior igitur inæqualis venarum ſeminalium exortus cauſa, in renem ſiniſtrum conferenda, ut in tanta vicinia vim ſuam & facultatem venæ ſeminali imprimat. In hanc ſententiam aliæ quoque, non parvi momenti rationes me impellunt. Experimur enim, quò quis calidiores à naturâ renes habet, eò majorem eſſe generandi ſtimulum. Hinc ſubtilis ille Cardanus non ſine causâ ſcripſit, equos, quò magis defatigantur & incaleſcunt, eò ardentiùs coitū appetere. Huc pertinet quod Ariſtoteles ſcripſit, animalia propterea ſeminis profluvio non capi, quia ſupra dorſum non decumbunt, per talem

namque

namque decubitum, renes adeò inflammantur & accenduntur, ut involuntariam ſeminis profuſionem excitent. Nec deniq; parum nos movere debet veterum Medicorum autoritas. Oribaſ. enim lib.6.colleƈt.cap.38.ex ſuppreſſione & retentione ſeminis renes malè affeƈtos fuiſſe, obſervavit, quaſi ſemen retentũ ad renes, quaſi ad principium ſuum, reſtagnaverit. Aretæus quoq; lib.2.morb. Chron.c.7. tradens modum, quo ſeminis fluxus comprimatur, lumbos & renes refrigerandos & adſtringendos eſſe docet. Sic Trallianus lib.9.c.9. ad imminuendã genituram, laƈtucam & alia quæ renes refrigerant, exhibet. Extrinſecus verò laminam plumbeam regioni renum admovere jubet.

Quapropter etiamſi renes non ſint principalia generationis organa, neq; vena ſeminalis ſiniſtra ipſam renis ſiniſtri ſubſtantiam ingrediatur, ren tamen ſiniſter in tanta vicinia vim ſuam & generandi ſtimulum, venæ ſeminali non minùs, quàm epar venis meſaraicis vim ſanguificandi per irradiationem imprimere poteſt.

QUÆSTIO XCI.

An Scythica gens ſit ſterilis? C. N.

AN Scythæ populi Aſiatici & auſtrales, vel ſeptétrionales & boreales fuerint, controverſum eſt. Juſtinus l.2.ad ſeptentrionales: Munſterus & Bodinus in meth.hiſt.ad auſtrales referunt. Si ſeptentrionales fuerunt, frigidam & ſiccam; ſin auſtrales, calidam & humidam regionem inco-

luerunt. Quanquam autem reſponderi poteſt,unam Scythiæ partem borealem,alteram auſtralem fuiſſe;illâ tamen quæſtione omiſsâ,hanc duntaxat discutiamus , an Scythæ ſteriles vel fœcundi fuerint.

Hippocrates in lib. de Aëre, Aq.& Loc.non ſolùm affirmat quòd ſteriles fuerint, ſed cauſam etiã ſterilitatis in regionem frigidã, mulierum Scythicarum otium & præparcum menſtruorũ fluxum confert;unde mares poſtquam conjugalem congreſſum irritum ſenſerunt , ſemetipſos caſtrare aſſerit.

Hæc verò Hippocratis ſententia nõ ſolùm nobiliſſimis hiſtoricis,ſed phyſicorũ quoq; rationib. repugnat. Nam Gothorũ,Germanorũ & Scytharũ tanta eſt fœcunditas,ut nõ ſolùm ſeptentrionis vaſtas ſolitudines & ſylvas maximis urbib.decoraverint,ſed etiam in univerſam Europam colonias traduxerint,ut non malè Methodi' & Paulus Diaconus dixerint, ex Scythia exercitus quaſi apum examina erumpere. Unde etiã Jornandes & Olaus (ut refert magnus ille Zvvinger' in Theat.orb.) Scythiam hominũ officinam appellarunt. Hinc n. Gothi, Gepidæ, Heruli, Hunni, Alani, Cimbri, Longobardi, Burgundi, Normanni, Picti, Suevi, Slavi, Suiceri, Rugi, aliiq; plures originẽ duxerunt.

Quapropter nõ ſolùm à ſententia Hippocratis quoad ipſum effectũ,ſed etiã quoad causã effectui aſſignatam,recedendũ eſſe arbitror. Nã ſi maximè ꝓ defenſione Hippocratis dixeris,Scythas in plurimas & diverſas regiones distractos fuiſſe,adeoq; plagam aliquã Scythicam ſterilẽ fuiſſe; tamen ratio quam

quam Hippocrates ſterilitati aſſignat, nullius valoris eſt. Frigidã ſiquidem regionẽ quod attinet: ex ejusdem Hipp. aph. 14. lib. 1. aliisque locis plurimis probari poteſt, externum frigus internũ calorem augere & multiplicare. At, inquis, Hippocratẽ ibi loqui de moderato frigore externo, immoderatũ verò in Scythia uterum muliebrẽ ita inſpiſſare, indurare, & ad concipiendũ ineptum reddere, ut aphor. 62. l. 5. dixerit, talem uterũ denſum & frigidũ nunquam concipere. Huic reſponſioni obſtant Scytharũ mores: omnes ſiquidẽ hiſtorici uno ore fatenẽ, Scytharum gentem agilem, ferocẽ, omnib. fermè populis bellũ intuliſſe; cùm ipſis, teſte Juſtino, nullum bellum unquam illatũ fuerit. Præterea non ſolùm viri, ſed mulieres quoque, quotidianis venationibus ita ſe exercuerunt, ut impoſſibile ſit, Scythas frigidiſſimæ naturæ fuiſſe; frigiditas enim extrema haud agiles, ſed torpidos & ad motum ineptos reddit. Jam quòd pręparcum menſtruorum fluxum Hippocrates notat; quanquã Ariſt. quoq; lib. 4. de gen. an. autor ſit, rariſſimè conceptionem fieri; niſi fœmina ejus ſit ætatis, ut menſtruorum fluxum priùs fuerit paſſa: Guainerius tamen tract. de ęgritud. matricis c. 2. refert, ſe adoleſcentulam in cura habuiſſe p̃gnantem quæ nunquam menſtrua habuerat; Et Forlivi⁹ autor eſt, plures partus ab iis editos fuiſſe, quæ nunquã menſtrua paſſę fuerunt. Sic Fernel. l. 6. pathol. c. 16. refert, ſe mulierem vidiſſe quę nunquam menſtrua vidit, & ſana vixit in annum 60. Rondeletius quoq; cap. 24. cur. morb. dicit, ſe fœminam Montisbanam noviſſe, cui nunquam menſtrua fluxerant, & tamen duodecies

pepererat. Idem teſtantur Nicolus ſerm.6.tract.3. c.4. Braſſavol.com.ad aph.36.lib.5. Toletus in append.ad cap.1.Bagellardi. Trincavella lib.10.cap.3. cur.morb. Jubertus l.2.pop.Er.c.1. Cauſam hujus conceptionis ſine prægreſſo menſtruorum fluxu, Mercurialis in lib.de morb.mulierum hanc affert, quia licet tantũ ſanguinis non adſit,ut præ nimiâ redundantiâ ſingulis menſibus effluat,tantum tamen ſupereſſe poteſt,quantum ad generationem ſeminis & conceptionem requiritur.

Otium quod attinet: ex modò dictis patet, Hippocratem Scythicis mulieribus maximam injuriam facere; uſque adcò enim ab otio ſunt alienæ,ut Alexander lib.2.cap.1.referat, Scythicas fœminas puerperas nullis partus doloribus moveri, nec in lecto quieſcere, ſed ridendâ potiùs conſuetudine viros pro ſe ad lectum deducere, eiſque ita miniſtrare ac ſi ipſi peperiſſent. Idem teſtatur Val.Flac.lib.5.Argon.

——————Ibi deſide mitrâ

Fœta ligat, partuq; virum fovet ipſa ſoluto.

Sterilitatis igitur in illa Scythiæ parte,alia cauſa probabilior aſſignanda erit; quæ, niſi fallor, in promiſcuum mulierum concubitum & frequentem equitationem conferri poterit. Cùm enim Scythæ,autore Herodoto lib.1.Strab.lib.11.Sabell. l.6. & Polyd.Virg.libr.1.cap.4. promiſcuo concubitu uſi ſint, ſcortorum exemplo facilè probatur, irritum fuiſſe Scytharum generandi conatum, quod ipſum etiam teſtatur Paræus de hom. gen. cap.37. Acceſſit frequentiſſima fœminarum equitatio,quæ quantum fœcunditatem impediat,

præ-

præſertim ſi virorum more equitent, Anatomicis non eſt ignotum.

Quapropter in genere conſtare crediderim, Scythicã gentem minimè ſterilẽ, ſed fœcundiſſimam fuiſſe: Interim tamen, cùm credibile non ſit, Hippocratem virum integerrimum in re tam manifeſta erraſſe; exiſtimaverim illam Scythiæ partem, quæ equitationibus vagóque & promiſcuo concubitu magis uſa fuit, propter cauſas dictas ſterilem fuiſſe.

QUÆSTIO XCII.

An bona memoria arte parari poſſit? C. A.

NIhil hodie tam in votis habet ſtudioſa juventus, quàm ut arte aliquâ talem ſibi memoriam comparare poſſit, quâ ſemel audita, viſa & lecta memorando referre, & in uſum convertere poſſit. An verò hujusmodi voto, arte & induſtriâ humanâ ſatisfieri poſſit, in gratiam ſtudioſæ juventutis inquiramus. Ante omnia verò ſciendum, quid memoria ſit, ubi locum habeat, quomodo offendatur vel imminuatur, in quantum & quomodo juvari poſſit.

Eſt autem memoria nihil aliud, quàm tertia animæ rationalis pars, cum judicio, quod ſic vocant, & phantaſiâ ſeu imaginatione, animam rationalem, cujus beneficio à brutis differimus, conſtituens.

Sedem hujus animæ rationalis quod attinet, maxima fuit veterum Medicorum & Philoſopho-

rum de illa concertatio. Archigenes enim, Ariſtoteles & Poſidonius (ut eſt videre apud Gal.l.3. de loc.aff.cap.3.4.5. item libr.5. de plac. Hipp. & Plat.cap.6. & libr.6.cap.2.) exiſtimarunt, animam rationalem in corde collocatam eſſe. Verùm Galenus lib.6.de le.aff.cap.4.hanc ſententiam ſolidè ex ipſius etiam Archigenis verbis & operibus confutat. Cùm enim Archigenes remedia pro memoria ordinaſſet; ea non cordi, ſed capiti adhibuit: quo facto ſemetipſum proprio quaſi gladio jugulat.

Plato verò animæ rationalis ſedem in cerebro poſuit: quẽ non ſolùm Galenus, ſed pleriq; omnes alii Medici & Philoſophi ſequuntur. Nec ſanè commodiorem ſedem habere poterat. Nam cùm anima circa ea verſetur, quæ viſu, auditu, guſtu, tactu & olfactu offeruntur: horum verò ſenſuum exteriorum organa caput circumſtent & quaſi obvallent; ſapientiſſimo utique rerum omnium creatori ipſam animam in horum externorum ſenſuum centro, cerebro nimirum collocare placuit. Cùm verò tanta ſit cerebri humani capacitas, ut nulli animantium generi capacior ſit; ulteriùs quæritur, an tres prædicti ſenſus interiores, imaginatio ſcilicet, judicium & memoria, confuſim totum cerebrum occupent, vel ſinguli ſingulas & ab invicem diſtinctas partes teneant. Hac in parte Galenus, ſi obiter inſpiciatur l.2. de motu muſc. & alibi, memoriam cum phantaſia confundere videbitur: Expreſsè ſiquidem inquit, memoriam ibi locari, ubi & phantaſia. Verùm Galenus

lenus ibi non loquitur de identitate ſpeciei, ſed generis, quaſi dicat, Memoria non eſt in corde, ſed in cerebro, ubi etiam eſt phantaſia. Actuarius verò expreſsè docet, ſingulas animæ rationalis facultates certis in cerebro ſedibus ab invicem ſeparatas habitare. Ab hac ſententia Galenum non abhorruiſſe, vel maximè eluceſcit ex cap.3. de ſympt. diff. Nam Theophili caſum enarrans, inquit, ſolam phantaſiam illæſo judicio & memoriâ defeciſſe: putabat enim ſibi aſtare muſicos & tibicines, qui cantu & ſonitu ſibi dormiendi facultatem eriperent, volebat ergo ut domo pellerentur. Recordabatur etiam omnium eorum, quæ dicta aut facta erant, & ſic memoria fuit illæſa. Sic idem Galenus exemplum læſi judicii, illæſis reliquis duobus ſenſibus, proponit in eo qui vaſa vitrea agnoſcebat, & quæque ſuo nomine nominabat; illa tamen ſine judicio unà cum filiolo ſui domini, quem non minùs agnoſcebat, per feneſtram projiciebat. Denique exemplum læſæ memoriæ videre eſt apud Thucydidem, qui refert, quosdam in famoſa illa Athenienſium peſte literarum fuiſſe oblitos.

Cùm ergo appareat, ſingulos ſenſuum interiorum ſeparatim lædi poſſe; certum & indubitatum evadit, ſenſus interiores quos principes vocant, certis ſedibus diſcluſos eſſe. Sed hîc Altimarum magni nominis Medicum obſtrepentem audio, qui ſic infert: Si quatuor diverſæ facultates, attractio ſcil. retentio, alteratio & expulſio uni & ſoli ventriculo per totũ inſunt; & tamen una facultas illæſis reliquis deficere ſolet; ſequetur, idem in ce-

rebro non minùs fieri poſſe. Sed prius eſt verum. Ergo. Ad hoc argumentum reſpondendum, falſam eſſe aſſumptionem, vix enim una ſine altera lædi poteſt. Deinde ſi maximè tale quid fieret; tamen verè dici non poteſt, diverſas iſtas ventriculi facultates in uno & eodem ventriculi loco perfici. Attractio enim circa os ventriculi perficitur, retentio verò & concoctio circa ejusdem ventriculi fundum. Præterea attractioni inſerviunt fibræ rectæ, retentioni fibræ obliquæ, expulſioni fibræ transverſæ.

Conſtat ergo, tres animæ rationalis facultates ſeu potentias non confuſim in toto cerebro, ſed ſeparatim in diverſis partibus ſedē habere. Nunc ergo inquiramus oportet, in quanam cerebri parte memoria collocetur; ut auxilia, ſi quæ deperditæ vel infirmæ memoriæ adhiberi poſſunt, rectè applicentur. Hac in parte Actuarius lib.3.meth. cap.17.& in lib. de ſpir.an.nutr.c.ult. docet, imaginationem in anteriore cerebri parte, memoriam in poſteriore, judicium verò in medio cerebro ſedem habere. Hanc ſententiam amplectitur Savonarola tract.6. de ægr.cereb. cap.1.rub.1. Item Mercurialis de aff.cap.& Stegius cum multis aliis. Hujus aſſertionis veritas hac quoq; ratione confirmatur. Nulli ignotum eſt, ætatem puerilem imaginatione, ſenilem memoriâ (niſi excrementicia humiditas impediat) in virili verò ætate conſtitutos, judicio maximè valere. Præterea conſtat, puerorum cerebrum cumprimis humidum, ſenum verò ſiccum, virorum neque nimis ſiccum, neque nimis humidum eſſe. Certum denique & hoc

hoc eſt, anteriorem cerebri partem humidiſſimam & proinde ad recipiendas rerum impreſſiones aptiſſimam: poſteriorem ſiccam adeoque ad conſervationem rerum impreſſarum idoneam: mediam, medio modo ſe habentem, ad dijudicandum maximè habilem eſſe. Nihil dicam, quòd imaginaturi ſynciput, recordaturi occiput confricare ſolemus, quaſi vis imaginandi & memorandi inde eruatur.

Sed & hîc objicitur: an non Galen. lib. de fac. nat. aſſerit, facultates animæ à temperamento ſui organi dependêre? Quòd ſi igitur iſtæ facultates ſunt ſeparatæ, ſequetur, cerebrum non unico, ſed triplici temperamento præditum eſſe. Sed facilis eſt reſponſio; quia, licet totum cerebrum frigidum ſit & humidum, humidius tamen eſt in parte anteriore & ſiccius in poſteriore. Jam autem magis & minùs realiter differre non faciunt, ut in ſcholis loquuntur.

Memoriæ igitur locus eſt poſterior cerebri pars, quam cerebellum vocant, moderatè frigidum & ſiccum.

Quotieſcunque igitur hæc temperatura, vel in humidiorem vel frigidiorem, vel ſicciorem vel calidam delabitur, toties bona memoria deperditur.

Cauſæ igitur humidioris cerebri ſunt, aër nimium humidus, continuæ pluviæ, compotationes, helluationes, immoderatus lactis, piſcium aliorumq́ue alimentorum exceſſivè humidorum uſus.

Frigidioris intemperiei cauſæ ſunt, aëris ex-

ceſſivè frigidi vis, balnea exceſſivè frigida, melonum, cucumerum, fungorum & ſimilium uſus.

Siccioris intemperiei cauſæ ſunt, curæ, ſtudia intempeſtiva, venus immoderata, labores & corporis exercitia.

Calidam intemperiem inferunt, inflammationes multarum partium quæ cum cerebro conſentiunt, ut ſunt uterus, ventriculus, epar & diaphragma.

Signa læſæ memoriæ à nimia humiditate, ſunt frequentiores & profundiores ſomni, ſtertor, plurima aurium & narium excrementa, ſonitus & fluctuatio circa aures, &c.

Frigidioris intemperiei ſigna ſunt ſtupor, offenſio à frigore, caloris externi facilis tolerantia, &c.

Sicciorem arguit, narium, aurium, fauciumq; ſiccitas. Calidam innuunt vigiliæ, ſolito crebriores & diuturniores, rerumq; frigidarum facilis tolerantia, &c.

Hinc patet, quanta ſit quorundam temeritas, qui mediocri & naturali memoriâ donati, abſque ullâ diſcretione, etiam cerebro probè temperato exiſtente, ut miraculoſam quaſi memoriam ſibi cõcilient, ad calidiſſima quæq; & ſicciſſima remedia, nullâ urgente neceſſitate, confugiunt; cùm tamen bona cerebri diſpoſitio ſit conſervanda, intemperata verò non niſi pro ratione excedentis intemperaturæ, diverſimodè tractanda.

Verùm omiſſis aliis cerebri intemperaturis, tanquam raro contingentibus, ad frigidam & humidam corrigendam nos convertamus. Principiò igi-

igitur, ſi cerebri temperatura à primo ortu nimis humida & frigida exiſtat, vereor ut arte aliquâ corrigi poſſit: vitia enim naturalia vix unquam vel magna cum difficultate corriguntur. Sin caſu aliquo introducta fuerit, artificiosè per contraria calida & ſicca emendabitur. Danda tamen opera, ne exceſſivè cerebrum exſiccemus, ſed in tantum, quantum naturalis & communis illius temperies requirit. Primùm igitur & ante omnia cerebrum purgetur per pilulas capitales, deinde reſidua humiditas excrementitia, per interna & externa medicamenta abſumenda. Externa erunt ſuffitus, pileoli, inunctiones & ſimilia. Suffitus fiant hunc in modum. ℞ Coriandri, Roſarum Gum. Hederæ an. unciam ſemis. Nigellæ Rom. unciam unam. Maſticis, Thuris an. duas drachmas. fiat pulvis ponendus ſupra carbones. Vel: ℞. Thuris, cinam. Gariophyl. an. drachmam unam ſemis. cort. Mal. cit. drachmam unam. ligni Aloës ſcrupulos duos. Myrrhæ Maſticis an. drachmam unam. Troc. Galliæ Moſch. drachmas duas. Ladani drachmas duas ſemis. Excipiantur cum ſtyrace liquida, fiant trochiſci pro fumo. Pileoli quos cucufas vocant, parantur ex ſemine Nigellæ, Carui, Cumyn. Coriandri, Garioph. floribus lavendulæ, liliorum, roſarum & ſimilium.

Inunctio occipitii fiat ex oleo ſuccini, vel fricetur occipitium cum pectine eburneo leviter madefacto cum ſpiritu vini.

Interna medicamenta quod attinet: illa potiùs commendantur, quæ in formâ ſolidâ conficiũtur,

non ſolùm quia commodiùs circumferri poſſunt, ſed etiam quod diutiùs in ſtomacho moram trahunt, & plus in cerebrum evaporant, ſuasque vires ei imprimunt, quàm quæ in forma liquida præſcribuntur. Laudatur igitur confectio Anacardina, item quæ recipit Sem. Coriandr. drachmas duas. Gariophyl. Macis an. drachmam unam. cubebarum drachmam unam ſemis. Flor. Stœch. Ar. drachmam unam: fiat pulvis groſſus, qui excipiatur ſach. disſoluto in Aq. majoranæ, formentur morſelli. Vel, ℞. Conſ. Meliſſ. Anthos, Lavend. Majoran. an. unciam unam. condit. Zing. cal. Ar. an. unciam ſemis. pul. Rad. pyretri drachmã unam cum ſ.q. Syr. Borrag. fiat Elect. Plura alia paſſim occurrunt, quæ huc referre ſupervacaneum eſt, quæ ſi debito modo uſurpentur, intemperiem cerebri frigidam & exceſſivè humidam emendabunt, & memoriam non parum juvabunt. Quicunque verò mediocri memoriâ haud contenti, ad occultas rerum quarundam proprietates, ſemina ſcilicet pæoniæ, ante ſolis exortum eruta, vel auro Ungarico collecta; dentem vel pedem ſiniſtrum taxi brachio dextro alligandum, oculum upupæ comeſtum, vel collo appenſum, cor talpæ, hirundinis, ciconiæ, & ſimilium animalium, quæ in regiones longè disſitas recedunt, & dum redeunt, mediante memoriâ, nidos priores repetunt, & ſimiles nugas & ſuperſtitiones confugiunt, ut admirabilem & ſtupendam memoriam nullo vel exiguo cum labore conſequantur, illi oleum & operam perdunt: omnia namque iſta ad nihil magis conferunt quàm ut moderata cerebri tempe-

rieſ

periës deſtruatur,& ſumptus inutiliter collocentur. At inquiunt, horum remediorum uſu Cyrus ſuorum militum nomina memoriter tenebat; Themiſtocles memorando & recordando omnes ſuperabat, ut oblivionis potiùs quàm memoriæ artem expeteret. Talem memoriam Porcio Latroni tribuit Seneca, Apollonio Suidas, Laurentio Bonincontrio Cardanus, Franciſco Carduo Leander Albertus,qui duas pluresque paginas ab alio prælectas,ſtatim memoriæ mandavit. Claudius Imp. omnia Homeri poëmata,Saluſtius totum Demoſthenem, Avicenna medicus Metaphyſica Ariſtotelis, memoriter tenuiſſe dicuntur:

Quàm miranda canunt,ſed non credenda,poëtæ!

Eſto tamen,vera ſint iſta omnia,occultę tamen ingenii bonitati, divinitus huic vel illi conceſſæ adſcribenda putaverim;quę ſi quis arte aliquâ humanâ imitari conetur,toto errabit cœlo. Quemadmodum ſtupendæ ſunt,in quibusdam, etiam parvæ ſtaturæ hominibus, corporis vires:ut vel ferreas equorum ſoleas manibus discerpere, vel dentibus maxima pondera elevare, vel curſu equum imitari poſſint, qualia exempla non rarò occurrunt,quæ homines longè robuſtiores, nullis viribus præſtare poſſunt. Sic inficias non ibimus,occultas ingeniorum vires quibusdam conceſſas eſſe,quas nullâ arte imitari liceat.

QUÆSTIO XCIII.

An animalia aliquam rationem habeant? C.A.

BEſtias omni ratiocinandi facultate deſtitutas eſſe minùs verè affirmari exiſtimo. Cælius quoque Rhod.lib.6. Antiq. lect. cap.1. de ratione animalium haud dubitans, illud potiùs inquirit, quænam animalia, majori prudentiâ & intellectu prædita ſint. Et ſanè in eam inclinat ſententiam, animalia molliorem cutem habentia, majori intellectu & ingenio acutiori prædita eſſe: Quam ſententiam ex Ariſtotele lib.5. de Gen. An.c.5. deſumpſiſſe videtur, ubi cutis humana molliſſima & tenuiſſima ſtatuitur. Durior verò & denſior cutis, ingenii tarditatem & ſtupiditatem arguere putatur. Hanc equidem aſſertionem, cutis aſinina denſior, plagas vix ullas ſentiens, comprobat. Hinc & Plautinum illud:

Meus herus elephanti corio circumtectus eſt:
Neq; plus habet ſapientiæ quàm lapis.

Verùm cùm Cælius ſibi objici poſſe intelligeret, pueros & mulieres molliorem cutem habere adultis & maſculis, à quibus tamen ingenio & ratione plurimum ſuperantur: Objectioni iſti occurrens, inter mollitiem cutis, quæ à proba & juſta qualitatum commoderatione & temperie, & illam quæ à pinguedine & humoris phlegmatici abundantia, provenit, diſtinctionem aliquam commentus eſt. Sed ne ſic quidem aſſertionem

ſuam

ſuam comprobaverit. Eſt enim res notiſſima, Plinii aliorumque ſcriptorum autoritate comprobata; elephanots, quos Plautus manifeſto errore ſtupidos credidit, omnium animalium cutem dẽſiſſimam & duriſſimam habere, ingenio tamen & prudentiâ ita excellere, ut Plinius quidem duodecim prioribus capitulis l.8. hiſt. nat. intellectum elephantorum mirificè commendaverit. Quòd ſi Pliniana figmenta eſſe dixeris, unicum duntaxat teſtimonium accipe Chriſtophori à Coſta in lib. Aromatum, latinitate à Cluſio donato. Rector elephantis, cùm horâ ordinaria cibum illi non præberet, elephantus, de morâ conqueſtus eſt. Rector verò id accidiſſe ajebat, quòd lebes, in quo cibum illi coquere ſolebat, pertuſus eſſet, proinde eum ad cacabarium deferret reſarciendum. Fert eum elephantus: Cacabarius negligentiùs reparat. Rector Cacabarii negligentiam videns, elephantum objurgat, eumque contumelioſis verbis excipit, atq; ad cacabarium cum lebete remittit, ut diligentiùs reſarciat. is verò de induſtria lebetem reparare ſimulans, rimã auget & elephanto reddit; qui promuſcide lebetem corripiens, ad flumen defert & aquâ implet, quam dum effluere conſpicit, magis pertuſum eſſe lebetem intelligit, & ad ædes cacabarii defert, magno barritu intonans. Cacabarius blandis verbis ab elephanto veniam petit, & lebetem probè reparat eiq; reſtituit: Ille verò fidẽ non habens, in omnium conſpectu, ad flumen redit & aquã haurit, quã dum videt nõ effluere, ad rectorem ſuum refert & ſic cibũ ſuum impetrat. Similia prudentiæ & ingenii ſpecimina

Ciceroni haud incognita fuiſſe ex Epiſt. Fam.1. lib.7.apparet.Dubium igitur non eſt,animalia irrationalia dicta, aliquam rationem habere; illam verò minimè à cutis mollitie,ſed ſanguinis potiùs conditione & temperatura cerebri dependêre.

QUÆSTIO XCIV.

An corporis excercitia cibum præcedere debeant? A.

AD conſervandam bonam valetudinem & robur corporis acquirendum, tantoperè confert exercitium corporis, ut Ægyptii teſte Alex.ab Alex.l.2. c.25. puberibus filiis nihil ciborum dederint, niſi ſtadia aliquot curſu confeciſſent. Baleares quoque inſulani,pueris cibum haud dare ſolebant,niſi fundâ illum peterent. Hinc Socrates ad veſperam uſque deambulando, ut ſcribit Platina; & Carolus Magnus venando, equitando, & belligerando, teſte Crantzio, nec non Cato Cenſ. ambulando & currendo, ut notat Plutarchus, firmam ſibi corporis valetudinem compararunt.

Quæritur autem de tempore exercitiis inſtituendis idoneo. Si enim omne tempus exercitiis aptum eſſet,neque Silenus ex laboribus & exercitiis intempeſtivis,ut habet Hipp.l.1. epid. ſect.3.in lethalem incidiſſet febrem, neque Balis filius in monte oberrans,in eum incidiſſet morbum,quo novem dierum ſpacio extinctus fuit, ut refert idem Hippoc.lib.7.epid.tex.18. Neque etiam Cn.

Plan-

Plancus in moleſtam incidiſſet febrem, ut refert Cic.in Epiſt.

Galenus igitur optimus corporis exercitator, in lib.de ſuc.bon. c.2. ſcriptum reliquit,ſe exercitio ante cibum ſumendum inſtituto, proſperam valetudinem in plurimos annos & ſibi& aliis conſervaſſe.Hunc conſervandæ valetudinis modum lib. 5. ſan. conſ. c. 2. Hippocrati acceptum refert. Idem tempus approbant Oribaſius lib. 6. collect. c.12.nec non lib.1.ſynop.c.2.Ægin.l.1.c.16. Aëtius lib.1.ſerm.1.c.2. Celſus lib.1. c.2. aliiq; tàm veteres quàm recentiores ferè omnes, qui tum demum corpus exercendum eſſe volunt, quando tempus aſſumendi cibum inſtat, & prioris cibi concoctio tàm in venis quàm in ventriculo eſt peracta. Si enim citiùs exercitium inſtituatur, tum cibus nondum concoctus vel ſanguis adhuc crudus,ad penitiores viſcerum meatus,vi quaſi rapitur,unde obſtructiones plurimæ generantur.

Ab hac ſententia nonnihil recedit Actuarius lib.3.meth.cap.11. inquiens, tempus exercitationi commodum eſt,quando corpus,neq; admodum inanitum,neq; admodum plenum exiſtit.Rationem addit,quia prior exercitatio vires exolveret, poſterior verò rupturam minaretur. Hinc Montanus in conſ.229.ſufficere inquit,ut corporis exercitium inſtituatur, quando prima concoctio, quæ fit in ventriculo,peracta eſt:Nec ſanè immeritò. Eſt anim Hippocratis ſententia Aph.16.l.2. non eſſe laborandum vel corpus exercendum,ubi fames eſt: Jam verò eo tempore,quo cibus ſumi ſolet,fames nos premit & vẽtriculus vacuus mur-

MEDICAL SOCIETY ESTABL

murat. Ergo eo tempore exercitium nullum convenit. Quanquam autem Hippocratis interpretes hunc aph. diverſimodè exponãt: dum alii, in quorum numero eſt Hollerius, duplicem famẽ conſtituunt, coactam nimirum, in annonæ caritate & obſidione aliqua diuturna ingruentem, & voluntariam, in qua jejunando corpus extenuare conamur, atque Hippocratem de tali fame intelligendum eſſe volunt, in qua ſuperfluum foret, ſi quis jejuniis adderet corporis exercitia: Alii, in quorum numero eſt Fiſcherus, hunc aph. de iis intelligi volunt, qui ex morbo aliquo convaleſcere incipiunt. Hisce enim, cùm viribus ſint exhauſti, minimè laborandum vel exercitium ſubeundum, ſed idoneo cibo & potu ad reſtaurandum & reficiendum corpus extenuatum, ſuccurrendum eſſe cenſent: Tamen neutrius partis interpretatio locum habere videtur. Si enim inſtitutum alicujus ſit jejunando corpus extenuare, cur non labores & exercitia ſuperadderet, ut citiùs ſcopum propoſitum conſequeretur, præſertim ſi corpus ab impuris humoribus priùs ſit repurgatum? Quis etiam credat, Hippocratem eos à laboribus & exercitiis arcere, quos præſens calamitas, viriumque infirmitas laborare non permittit? Quapropter hunc aph. ad ſanos reſtringendùm exiſtimo, eosque per horam unam atque alteram ante conſuetum ciborum ſumendorum tempus exercitandos eſſe, ac proinde ſufficere, ſi prima ciborum concoctio peracta, & vires adhuc validæ neque fame ſint debilitatæ. Hujus quoque ſententiæ plerosq; citatos autores fuiſſe conſtat,
eò

eò quòd præcipiunt, inter finitum exercitium & tempus ciborum aſſumendorum, ad minimum horam unam interponendam eſſe. Quòd ſi autem exercitium, cibum ſtatim præcedere velis, moderatum omnino ſit, neceſſe eſt, alioqui plus incommodi quàm commodi adferet.

QUÆSTIO XCV.

An corpora paſta, ciboq; refecta, graviora ſint jejunantibus & inanitis? C. N.

QUamvis delirantis eſſe videatur, corpora paſta leviora, nō paſta autem graviora pronunciare, ſiquidem cibus asſumptus pondus aliquod corpori adjicere videtur: Attamen qui rerum naturalium cauſas & eventus obſervat & diligentiùs ſcrutatur, reipſa experitur, cibum asſumptum nihil pōderis, ſed multum levitatis adferre. Viator enim jejuno & vacuo ſtomacho moleſtiùs & difficiliùs ponderoſum ſuſtinet corpus, cibo autem refectus, levior apparet, & minori moleſtiâ corpus circumfert. Hoc ipſum beſtiæ agnoſcere videntur: Equus enim ſeſſorem jejunū difficilius, paſtum verò alacrius ferre ſolet. Quinimò evidentiſſimum probationis exemplum habemus in emaciatis, à cibo abhorrentibus, & diuturno morbo confectis hominibus, qui triplo ſunt ponderoſiores, quā priùs erant, quando alacriter cibū asſumebant. Inuſitatū illud pondus animadvertēs ignara alioquin plebecula, ægrum in ſummo vitæ diſcrimine verſari, intelligit. Hujus rei cauſam in

vitales & animales ſpiritus referendam eſſe exiſtiſtimo: nihil enim in univerſo corpore levitate ſpiritibus aſſimilari poteſt, quippe qui ſuâ naturâ nõ deorſum, ſed ſurſum feruntur, & corpus ex ſua natura quaſi in ſublime ſuſtentant. E contrario autem corpora, quorum ſpiritus, vel inediis vel morborum injuriis imminuuntur & affliguntur, longè graviora, planè autem defuncta, propter ſpirituũ omnimodam disſipationem, graviſſima fieri conſtat. Cùm igitur cibus intra corpus aſſumtus non ſolùm ſpiritus recreet, ſed regeneret etiam & adaugeat, meritò corpora paſta leviora, jejunantia & inanita graviora; mortua verò omnium graviſſima ſentiuntur. Sed contendis, corpora defunctorum eſſe leviſſima, bene valentia verò graviora; illa ſiquidem aquę innatare, hæc ſubmergi cernuntur. Ad hunc nodum ſolutu ſatis difficilem, reſpondetur, corpora viventia non ſimpliciter eſſe levia vel aërea, ut aquæ innatare ſuâ naturâ poſſint, ſed reſpectu jejunantium, exinanitorum & defunctorum, in quibus propter ſpirituum paſſionem major apparet gravitas & pondus. Quòd verò ſubmerſorum corpora aquæ innatant, id fit non ſubitò, nec per ſe, ſed poſt aliquot dies & ex accidenti. Primùm enim oppreſſis ſpiritibus innatis, corpus labaſcit, planè autem deficientibus deorſum ruit & ſui pondere mergitur, ibique ad tempus aliquod deliteſcit, donec in locum caloris & ſpiritus vitalis, putredinalis quidam calor emergat, qui humiditates in vapores & halitus reſolvendo, corpus gravatum iterum levitate donat, erigit & enatare facit. Immota igitur veri-

veritas eſt, corpora paſta ciboque refecta jejunis & inanitis leviora eſſe.

QUÆSTIO XCVI.

An ſomno à cibo ſumpto, indulgendum? C. A.

A Cibo ad ſomnum transeamus, inquirendo, an poſt ſumptum cibum ſomno indulgere liceat. Veterum nonnullis ſomnum à cibo ſumpto familiarem & uſitatum fuiſſe, ex verſu colligere licet:

Ut lavit ſumpſitq́, cibum, dat membra ſopori.

Oribaſius quoq; l. 6. collect. 2. c. ſomnum poſt cibum non improbat. Imò Actuarius de ſpir. an. nut. cap. 11. talem ſomnum omnes corporis facultates exſuscitare, ſenſoria redintegrare, totumque corpus reficere, aſſerit.

Contrarium docet ſchola Salernitana in multis capitibus. Gal. l. 2. prog. Hipp. tex. 11. diſtinguit inter conſuetudinem, ſomnumq; meridianum poſt cibum iis permittit, qui à cibo dormire conſueverunt. Nos non minùs ventriculi conditionem quàm dormiendi conſuetudinem reſpiciendam eſſe putamus: Quibuscunque enim os ventriculi poſt cibum accuratè non clauditur, iis ſomnus nocet, quibus verò clauditur probè, ut nihil in caput evaporare poſſit, iis confert.

QUÆSTIO XCVII.

An faciliùs ſit vigilanti ſomnum conciliare, quàm dormientem excitare? C. N.

CArdanus lib.3. de conſ.ſan. c.91. inquit, faciliùs eſſe vigilanti ſomnum conciliare, quàm dormientem à ſomno excitare. Hanc forſan ſententiam ex Gal.lib.2.de alim.fac.c.ult. confirmare poſſet, ubi Galen.docet, ſolius lactucæ uſu, ſibi in extrema quoque ætate, quod difficilius eſſe ſolet, facilem ſomnum conciliatum eſſe. Idem patet ex lib.1.de cauſ. pulſ. cap.40. ubi ſola corporis exercitia, ad ſomnum conciliandum ſufficere ait. Verùm idem Galenus lib.3. de cauſis pulſ. c.10. contrarium docet, inquiens, non perinde in ſomnum incidimus ac ex ſomno evigilamus; hoc enim ſubitò, illud minùs fieri poteſt. Nam ſi quis, inquit Gal. dormientem tangat, vel ſuperſtrepet, dormiens excitabitur. Sic ſi medicamenta conſideremus, quorum ad conciliandum ſomnum uſus invaluit, deprehendemus pleraq; omnia eſſe narcotica, quorum quàm difficilis uſus ſit, nemo vel leviter in medicina verſatus, ignorat. Quapropter niſi Cardanus per ſomnum intellexerit ſoporem, qui teſte Galeno l.3. de pulſ. à ſomno plurimum differt, non ſine cauſa ipſius ſententia rejicienda. Fidiſſimum igitur Hippocratis interpretem Valleſium demiror, quòd in com. lib.3. epid. ſect.1. Ægroto 3. inquit: Ecce quàm ſubtiliter Hippocrates inter ſoporem & ſomnum diſtinguat: Cùm tamen

men conſtet, magnoperè ſomnum & ſoporem differre. Sopor enim gravis eſt, ſomnus gratus. Soporati vividum colorem perdunt, dormiẽtes ſervant. Sopor laborem, ſomnus requiem facit. Dormientes facilè, ſoporati uſque adeò difficulter excitantur, ut ſæpè pilorum evulſionibus, variiſque concuſſionibus fruſtra excitentur. Hoc ipſum non ignoravit Horatius, inquiens:

Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus, ut hæres,
Jam circa loculos & claves lætus ovansq́;
Curreret, hunc medicus multum celer atq́; fidelis
Excitat hoc pacto, menſas poni jubet atq́;
Effundi ſaccos nummorum, accedere plures
Ad numerandũ, hominẽ ſic erigit, addit & illud,
Nî tua cuſtodis, avidus jam hoc auferet hæres.
Men' vivo? ut vivas igitur, vigila.

QUÆSTIO XCVIII.

An lætitia plus ad conciliandum ſomnum faciat quàm triſtitia & metus? C. A.

QUantum ſit tormentũ, vigiliis conſumi, intellexerunt Carthaginenſes, qui cũ de acerbiſſimo mortis genere cogitarẽt, quo Attiliũ Regulum conficerent, abſciſſis illi palpebris, ut nonnulli tradiderunt, continuis vigiliis illum enecarunt. Non ſine gravi ergo causâ ſenes, noctes cum magno gravamine inſomnes ducẽtes, Medicorũ operã ad conciliandum ſibi ſomnũ frequẽter requirunt. Quæritur ergo, quæ ſit cauſa moleſtiſſimarum iſtarum vigiliarum? Quanquã autem du-

bium non ſit, ſiccitatem cerebri, ſeu humidi naturalis privationem (excrementiciâ enim humiditate ſenes abundant) ſomnum impedire, videtur tamen & alia cauſa extrinſecus accedere, quæ non minoris eſt efficaciæ, curæ ſcilicet, metus animique anxietas, quibus affectibus ſenes maximè indulgent. Hoc cùm intellexiſſet Paulus Æmilius conſ. Romanus, excubitoribus ſuis, ut refert Plutarchus in vita illius, arma detraxit & inermes vigilare juſſit. Incuſſo enim metu, & curis, pro fiducia, quam in armis ponebant, injectis majori cum ſtudio vigilarunt. Sic Mecænas ille Romanus, ut tradit Seneca, toto triennio noctes ducebat inſomnes: quia metuebat ne Auguſtus, qui deperibat uxorem illius, vim ei inferret. Hisce exemplis reclamare videtur, quòd diſcipuli Chriſti meticuloſi toties etiam à Chriſto excitati & admoniti, ne unius quidem noctis vigilias ſuſtinuerunt.

Sed reſpondetur, diſcipulos Chriſti verè meticuloſos non fuiſſe, ſed ſecuros & confidentes; perſuaſum ſiquidem ſibi habebant, Chriſtum omne periculum evaſurum. Securitatem verò, quæ cum gaudio ſemper eſt conjuncta, ſomnum promovere, Davidis Prophetæ teſtimonio, Pſal. 3. conſtat. Idem, niſi fallor, omnes experiuntur: Quicunque enim animo lęto & ſecuro, omni curâ & ſolicitudine in Deo repoſitâ, cubitum ſe conferunt & in lætitia iſta obdormiſcunt, vigiliis minùs torquentur.

Hanc aſſertionem Sigiſmundus Imp. impugnare videtur, qui, ut refert Æneas Syl. cùm ex

Unga-

Ungaria quadraginta millia aureorum allata ei eſſent, eaque læto animo accepiſſet; crebrioribus vigiliis ita fuit divexatus, ut convocatis conſiliariis & domeſticis diceret, Videte carnifices meos (ſaccos aurum continentes demonſtrans) qui mihi ſomnum eripiunt, accipite & inter vos dividite, ut tranquillè dormire poſſim: Verùm ex Cuſpiniano reſpondetur, Imperatorem non tantùm fuiſſe lætatum, ſed ſolicitè quoque cogitaſſe, in quem uſum aurum converteret. Fuit ergo non ſimplex, ſed mixtus animi affectus, ex lætitiâ & curis compoſitus. Simile exemplum reliquit Cicero, Murenam enim defenſurus, omni curâ & labore doctam meditando orationem, multas noctes, ut docet Plutarch. in vita Ciceronis inſomnes duxit. Non aliter fuit affectus Artaxerxes, capto Themiſtocle: qui non tam præ gaudio quàm cogitatione, quonam mortis genere hoſtem captum tolleret, integras noctes inſomnes duxit, ſubinde clamitans, Captus eſt Themiſtocles. Non aliter pueros affectos videmus in nocte divi Nicolai, dum partim donationis alicujus ſpe, partim etiam admixto metu ſpei inanis, ſubinde expergiſcuntur, omneſque ferè noctis horas numerant, donec quid donatum ſit, viderint.

Concludendum igitur, præter cerebri ſiccitatem, metum quoque & curas ſomnum impedire, bonam verò conſcientiam & fiduciam in Deo, lætitiam & ſuavem ſomnum excitare.

QUÆSTIO XCIX.

An tempus vernale ſit ſaluberrimum? C. N.

QUamvis Hippocrates vernalis temporis ſalubritatem nobis paſſim commendat: Experimur tamen, eo ipſo anni tẽpore varios morbos in homines cujuscunq; ætatis & ſexus populariter graſſari; ut non immeritò Hippocratis ſententia in dubium vocari poſſit. At verò qui Hippocratem tuentur, reſpondere ſolent, Hippocrati nunquam in mentẽ veniſſe, quaſi vernale tempus nullos omnino morbos, ſed quòd periculoſos & lethales non inferat. Verùm ſi ejusdẽ Hippocratis aphoriſ. 20. ſect. 3. conſideremus: æquè graves & periculoſi morbi vernali tẽpore accidunt, ac aliis anni temporibus. Vere, inquit, fiunt inſaniæ, melancholiæ, epilepſiæ, ſanguinis ꝓfuſiones, anginæ, gravedines, raucitates, tuſſes, lepræ, impetigines, vitiligines, puſtulæ, tubercula, & arthritides. Huic morborũ catalogo lib. 1. de nat. hum. dyſenteriam quoq; annumerat. Etſi autem huic quoque nodo ſolutio non inepta ſit inventa, quaſi nimirũ cauſæ morborum vernali tempore contingentium, non ex veris, ſed prægreſſæ hyemis naturâ exſiſtant, & ſubſequente vere in actum erumpant: attamen, ſi rem paulò attentiùs examinaverimus, luce meridianâ clarius evadet, graves & periculoſos morbos etiam ex naturâ ipſius veris plerunque generari. Ante omnia verò ſcire convenit, annum in quatuor æqualia tempora; Æſtatem ſcil. Autumnum,

Hye-

Hyemem & Ver diviſum eſſe, ita, ut unicuique tempori tres menſes lunares præſint: Cúmque menſis Majus æſtatis ſit initium, factâ computatione, Ver ſub Februarium, Martium & Aprilem incidit. Jam verò ſi horum trium menſium propriam naturam conſideremus, facilè apparebit, Ver etiam ex ſe ſuaque naturâ varios & periculoſos morbos generare. Primùm ex ipſo conſtat Hippocrate lib. 1. de nat. hum. text. 33. Ver calidum eſſe & humidum. Quàm verò hujusmodi aëris temperies pernicioſa, & ad omnis generis putridos morbos gignendos idonea ſit, nullâ eget probatione. Quin imò in libris Aphoriſmorum & Epidemiorum auſtrinam anni conſtitutionem, hoc eſt, calidam & humidam, plurimis & periculoſis morbis occaſionem præbere legimus. Deinde aphoriſm. 4. ſect. 3. inquit: Quando eâdem die aliâs calor, aliâs frigus fuerit, autumnales morbos exſpectare oportet. Cùm verò omnibus notum ſit, menſe Martio & Aprili modò calorem, modò frigus in unam eandemque diem incidere; conſequens eſt, Ver ſalubre minimè eſſe. Addo, quòd Aprilis ab aperiendo dictus eo anni tempore, recluſis nimirum & apertis terræ meatibus, putridis & malignis exhalationibus liberum exitum faciat, unde corpora noſtra graviſſimè affici neceſſe eſt. Quapropter ut Hippocrates ab hujusmodi contradictionibus liberetur, ſic ſtatuendum eſſe arbitror: Hippocratem ſcilicet non Germaniæ, ſed Græciæ tempeſtates deſcripſiſſe. Cùm verò in Græcia longè mitior ſit hyems, quæ vix menſem unum

atque alterum, ſi ad noſtros menſes reſpiciamu
perduret;fit ut illę caloris & frigoris viciſſitudine
nec non recluſio meatuum terræ,minimè in ve
nale tempus, ſed in hyemem potiùs, ſi modò a
quali dierum numero anni tempora utrobiqu
metimur, neceſſariò incidant,ac proinde morb
quibus Martio & Aprili menſibus in noſtris re
gionibus ſubjecti ſumus, apud Græcos in fin
hyemis cõtingunt. At verò,inquis,cùm vel ipſiu
Hippocratis judicio lib.1.de nat.hum.ipſum ve
in genere calidum ſit & humidũ, hujusmodi ver
temperies morborum feraciſſima ſtatuatur; non
dum video, quomodo nodus ille ſolutus ſit. A
hoc argumentum non ſolùm Galenus in com
mento, ſed etiam lib.1.de temper.c.4. reſponde
tempora anni non ex contrariâ oppoſitione, ſe
unumquodque ex propria ſua natura dijudican
dum eſſe. Proinde ſi maximè aliquando ver hu
midum & calidum contingat, ex propriâ tame
naturâ temperatum eſſe ſolet, ut nec humiditas
nec caliditas valde excedat. Sed reſtat adhuc aliu
ſcrupulus. Cùm enim Hippocrates Aphoriſ. 9
ſect.3. Ver omnib. morbis minimè exitioſum eſſ
dicat,contrà verò lib.3.Epid.ſect.3.doceat,Ver o
mnibus ægris fuiſſe difficillimũ, & plurimos abs
tuliſſe: conſtabit utiq; Veris inſalubritas. Ad han
objectionem reſpondeo, Hippocratem in Epid
tantùm loqui de omnibus Phthiſicis, quorum
multos Ver abſtulerit. Deinde notandum, Hip
pocratẽ eo in loco,non in genere de naturâ Veris
ſed in ſpecie de illius anni peculiari conſtitutione
agere. Quapropter, ſi Hippocratem de ſuæ re-

gionis

gionis tempeſtate locutum intelligimus, nullius erroris inſimulari poteſt. Si verò verba ipſius ad Germaniæ noſtræ tempeſtatem referamus, arbitror nihil abſurdius dici poſſe.

QUÆSTIO C.

An tempus vernale ad ſecandam venam ſit aptiſſimum? C. A.

SI paulò pleniorem victus rationem in Germania uſitatã conſidero; non dubito, quin annua ſanguinis detractio per venæ ſectionẽ facta, æquè ſanitati conferat, ac purgatio per medicamenta inſtituta, de qua nonnihil ſuprà in quæſt. 45. Quamvis autem Eraſiſtratus ab omni ſectione venæ abſtinuerit, nullam tamen iſtius facti rationem in medium attulit. Illas verò rationes, quas Apœmantes & Strato attulerunt, Galenus c.2.in lib. quem de ſect. ven. contra Eraſiſtratum edidit, tam ineptas eſſe demonſtravit, ut etiam refutationem non meruerint. In quæſtionem autem vocari poteſt, quonã anni tempore ad arcendos imminentes morborum intus deliteſcentium impetus, venæ ſectio adminiſtrari debeat.

Hippocrates Aph.4.7.lib.6.inquit, Quib. venę ſectio aut purgans medicamentum conducit, his vernali tempore venam incidere, aut purgans medicamentum exhibere oportet. Eandem ſententiam repetit Aph.53.lib.7. Hanc quoq; ſententiam amplectitur Galenus cùm alibi paſſim, tum maximè in libris de conſ. ſan. & in lib. de cur. Rat. per

ſang.miſſ.cap.7. Idem docet Oribaſius lib.7.coll. c.2.inquiens, Qui conſueta munia adhuc obeunt, princeps verò aliqua pars aut totum corpus gravatur aut tenditur, iis ſanguis eſt mittendus tẽpore vernali. Et paulò pòſt inquit, Homines experientiâ edocti ſunt, non à ſemetipſis, ſed à jumentis utile eſſe, ut, priusquam æſtas incipiat, tempore vernali ſanguinem mittant. Idem ſentiunt Aëtius lib.1.ſer.3.cap.10.& Actuarius lib.3.meth.c.1. Nec etiam obſcurum eſt, cur tempus vernale ad ſecandam venam reliquis anni temporibus præferatur: ſanguis enim tũ temporis maximè abundat, neq; fixus nimium hæret, neq; multum funditur vel agitatur, ſed leviter diffundi incipit, ut ad extractionẽ minimè contumax aut rebellis eſſe poſſit: id quod tempore hyemis fieri ſolet. Præterea vires corporis humani tempore vernali conſtant, & ad ſuſtinendam ſanguinis detractionem ſufficiunt. E contrario vires tempore æſtatis ſtatim diſſipantur & concidunt. Denique ipſa natura docet, hoc cumprimis tempore ſanguinem detrahendum & imminuendũ eſſe, quia Hippocrates diuturnâ experientiâ didicit, varia ſanguinis ꝓfluvia tempore Veris à natura concitari. Nec ſanè mirum; totâ ſiquidẽ hyeme homines non ſolùm in otio vivunt, ſed etiam propter externum frigus ad majorem ciborum appetitum & voracitatem impelluntur; ut ſanguis inde accumuletur; qui niſi tẽpore vernali imminuatur, multis morbis occaſionem præbet. Hinc illud Hippocratis Aph.20.lib.3. vernali tempore maniæ, epilepſiæ, ſanguinis fluxus, anginæ, gravedines, tuſſes, raucedines, lepræ, tubercula & articulorum dolores fiunt.

Verùm enimverò huic ſententiæ non parū adverſari videtur Hippocrates Aph.15. lib.1. qui ſic habet; Ventres hyeme & vere naturâ ſunt calidiſſimi,& ſomni longiſſimi. His igitur temporibus inquit Hipp.alimenta copioſiora ſunt exhibenda, quia innatus calor eſt major, unde nutrimentum uberius requiritur.

Ex hoc igitur Aph.ſic infero: Quocunq; anni tempore corpora multum alimenti requirunt, in illo ſanguis omnium partium alendarum proximum alimentum non eſt detrahendum.Jam verò ex cit. aph. patet, tempore vernali multum alimenti requiri,ergo abſtinendum à ſanguinis miſſione.

Idē hic ſenſus ex aph.1.l.4.& aph.29.l.5.elicitur. Gravidas,inquit textꝰ,purgare,ſi materia turgeat, à quarto ad ſeptimum convenit,eaſq́; minùs.Infra quartum verò & poſt ſeptimū menſem, abſtinere à purgationibus oportet.Per purgationē verò non ſolùm pharmaca purgantia,ſed ſanguinis quoque detractio intelligitur,quæ eā potiſſimùm ob cauſam prohibetur; quia fœtus ante menſem quartum infirmus eſt,& debiliter utero adhæret: poſt ſeptimum verò menſem acquirit calorem majorem; qui cùm largius quoq; alimentum poſtulet, fieri non poteſt,quin per ſectionē venæ tum temporis factā,fœtus alimento privetur,& periculum abortionis ſequatur.Hoc ipsū multò clarius docet aph.31.lib.5. Mulieri in utero gerenti,ſi vena incidatur,abortit, idq́; magis quò major fuerit fœtus. Ratio hujus aphoriſmi eadem eſt,quia ſcil. fœtus major majorem habet calorem,qui plus alimenti

requirit. Quapropter cùm ex ſententia Hippo-cratis tempore vernali intenſior ſit calor, qui alimentum uberius requirit, ſequetur, tempore vernali à ſectione venæ abſtinendum eſſe.

Reſpondetur, Hippocratem aph.15. lib.1. non reſpicere alimentum illud venis incluſum, quod non rarò ita exſuperat, ut venę ſanguine turgeant & venę ſectionem requirant, ventriculi nihilominus ea interim eſt conditio, ut, niſi alimentum ſeu cibus ingeratur, homines, cholerici cumprimis, & qui rariorem habent corporis ſtructuram, in vertiginem & ſyncopen præcipitentur. Sic pueri & atlethæ, quamvis ſanguine abundent, niſi tamen frequenter cibus ingeratur, præter prædicta mala cardialgiam & epilepſiam ſæpè incurrunt. Firma igitur manet ſententia Hippocratis lib.6.aph. ſectionem ſcil. venæ, tempore vernali factam, ad conſervandam valetudinem, & avertendos morborum inſultus, plurimùm conducere.

F I N I S.

INDEX

Præcipuarum rerum in hoc opello occurrentium.

A *Bortus an promovendus.* 258
Abortum procuravit Hipp. ibid.
Abſinthium an in 1. gradu calidum. 197
Abſinthii ſuccus an plus calefaciat quàm pars Abſinthii craſſior. 199
Acetum an calefaciat. 238
Adſtringentia an in dyſenteria ſint uſurpanda. 176
Aër vernalis temporis an temperatus. 302
Alimenta an concoquantur in ventriculo. 61
Allium non gignit vermes. 194
Allium flatus non gignit. 193
Althea calculum non frangit. 199
Alvi fluxus in peripneumonia an ſignum pernicioſum. 181
Amara omnia ſunt calida. 243
Amaroris tres proprietates. 243
Amor non conciliatur medicamentis. 118
Anatomicorum conſenſus de ſitu cordis. 33
Animalia veneno nutrita an nobis ſint venenum. 127
Animalia habent aliquam rationem. 286
Animus hominis curatur. 196
Anni tempus quod ſaluberrimum. 298
Anodyna quæ ſint. 246
Appetitus certorum ciborum unde. 184
Aqua frigidiſſima in febribus danda. 149
Aquæ frigidæ in dyſenteria uſus. 177
Aqua quæ optima. 234
Armorum unguentum an efficax. 88
Arum noſtrum an legitimum. 208
Arum an edi poſſit. 209
Arteriæ nullum periculum creant incumbentibus venis. 272
Arteriæ puri tranſitum non præbent. 38
Aſininum lac quale. 56
Aſini ſunt melancholici. 55
B *Erberis non eſt oxyacantha.* 214
Bilis flavæ effecta. 225

Bilis furorem vinum non mitigat. 224

CÆphalica medicamenta an dentur. 137

Calamus odoratus. 209

Calculum frangentia non ſunt permiſcenda cum purgantibus. 145

Calculus ſenibus familiaris. 228

Caloris fons duplex. 75

Cervicis percuſſio cauſa ſuffuſionis. 84

Chirurgia hominibus imperitis demandatur. 88

Cibus noxius quandoq; concedendus. 11

Ciborum depravatus appetitus unde. 184

Cibum præcedat exercitium corporis. 290

Cibus multiplex deducit ad tabem. 26

Cicer & piſum differunt. 216

Cichorium amarum quomodo refrigeret. 245

Cicuta non eſt calida. 201

Colum inteſtinum eſt ſupremum, ſi ſpectes ſitum. 68

Concoctio ubi fiat. 64

Conſuetudinis vis. 11

Contactus inter agens & patiens eſt neceſſarius. 102

Cordis ſitus. 33

Cor à natura calidum. 19

Cor putredini tranſitum non præbet. 39

Corpora paſta ſunt leviora jejunis. 291

Cotonea urinam non movent. 189

Crocus caput gravat. 212

Curæ non ſinunt pingueſcere. 26

DEpravatus ciborum appetitus unde. 184

Diarrhea pleuritidi ſuperveniens an ſit ſignum lethale. 181

Difficultas medicinæ. 4

Diuretica cum purgantibus non miſcenda. 206

Diuretica in affectibus lienis. 40

Dormire poſt ſumptum cibum an malum. 293

Dulcia non omnia vermes gignunt. 196

Duodenum inteſtinum non chylificat. 60

Dyſenteriæ dolor an locum affectum monſtret. 68

Dyſenteriæ potiſſima cauſa. 169

Dyſenteriæ cauſa non eſt pinguedinis concretio. ibid.

Dyſenteriæ diverſæ ſpecies. 171

EBrii cur dolorem non ſentiant. 247
Elleborum melancholiam purgat. 139
Elaterium aquam purgat. 141
Empyema an per arterias ſolvatur. 39
Epatica medicamenta an dentur. 137
Epar hominis an ſupra diaphragma. 28
Epar fruſtulatim excerni nequit. 29
Epidermis non reſolvitur in ſquamas. 185
Eſula leptophyllos Tabernæmontano non ſatis cognita. 212
Exercitium corporis tempeſtivum. 288
FAcies animi index. 76
Febricitantibus aqua frig. danda. 149
Febris peſtilens non admittit ſectionem venæ. 157
Fiducia ægri quid operetur. 9
Fœtor cordi adverſiſſimus. 43
Fœtum an excutere liceat. 258
Fœtus quomodo in utero nutriatur. 43
Fortuna qualis medico ſit neceſſaria. 7
Frons an animi index. 77
Fructus horarii potiſſima dyſenteriæ cauſa non ſunt. 169
Furfures unde proveniant. 185
GEmelli in utero per membranas ſunt ab invicem diſcluſi. 71
Gibba epatis pars per urinam evacuatur. 49
Glauci oculi innuunt animum atrocem. 77
Gracilia inteſtina ſauciata coaleſcunt. 69
Gravidarum appetitus unde. 184
Guſtus rerum qualitates docet. 252
HArmonia muſica dolorem quomodo leniat. 247
Hermodactyli ex longinquo trahunt. 141
Homo non pingueſcit ut beſtia. 26
Homo ſine cibo & potu vivit. 24
Hominis vita ſine reſpiratione. 18
Humores tenues & ferocientes ſunt incraſſandi. 207
IEcur Ariſtoteli ſupra diaphragma. 28
Jecoris gibba pars per urinam, ſima per alvum evacuatur. 49
Imaginatio quid poſſit. 253
Imaginatio ubi ſedem habeat. 281

Imaginandi facultas quando potentior. 257
Indicationes vulnerum curandorum. 93
Incantationis vires. 112
Inedia aliquot annorum naturalis. 25
Inflammatio quomodo ſiſtatur. 94
Ingenium artificiale. 277
Inteſtinorum differentiæ. 61
Inteſtinorum vulnera an coaleſcant. 69
Inteſtina an intus ſint pinguedine obducta. 66
Iris aquatica non eſt calamus. 210
LAc virgineum an detur. 51
Lac muliebre.ss.vaccinum. ibid.
Lac aſininum non eſt tenue, neq; calculum pellit. 56
Lactis materia eſt ſanguis. 51
Lac an ſalubre. ibi.
Lac nutricis non ingenerat mores. 56
Lac ex quot partibus conſtet. 54
Lacteſcentes plantæ lac non multiplicant. 250
Lactucæ vires. 219
Lactuca quale lac & quomodo præbeat. 220
Laxantia medicamenta. 148
Lentes an uſurpandæ in variolis. 206
Lien an fruſtra factus. 45
Lien an per vias urinæ purgetur. 49
Limaces in hyeme non reſpirant. 20
MAgia duplex. 113
Mamillæ virginum ſine lacte. 51
Matrix an oberret. 73
Matrix inciſa coaleſcit. 69
Medica ars non eſt incerta. 1
Medicamenta an rectè dicantur epatica, ſplenetica, &c. 136
Medicamenta electivè purgantia. 139
Medicamenta cum cibo non ſunt miſcenda. ibid.
Medicinæ præcepta non ſunt rigidè ſemper obſervanda. 10
Medicina non eſt facilis. 3
Medicus an fortunâ peculiari indigeat. 7
Medicum quæ impediant. 12
Medicus an ſit in aliqua dignitate. 14
Mel an vermes gignat. 195

Mel à putredine defendit. 196
Melancholia an frequentes purg. admittat. 178
Melilotus non adſtringit. 223
Memoria artificialis in quantum conciliari poſſit. 277
Menſtrua unde. 44
Menſtruum & alimentum fœtus per diverſas vias feruntur. 44
Meſpila calculum non frangunt. 205
Metus ſomnum non conciliat. 295
Mores nutricum an communicentur per lactationem. 56
Mores an per diſciplinam emendentur. 59
Morum indicia non ſunt in facie. 77
Muſtum an plus inebriet. 231
Mutatio repentina nocet. 156
NArcotica an ſint calida. 245
Natura curat vulnera. 91
Nerium an in comp. Eſdræ ſumendum. 204
Nerium eſt venenatum. 204
Nervi optici ſunt cavi. 86
Nuclei meſpilorum calculum non frangunt. 205
OCuli parvi ſunt pravi. 77
Olfactus plantarum qualitates docet. 252
Oſſa fracta beneficio naturæ coaleſcunt. 92
Otium facit pingueſcere. 28
Oxyacantha non eſt Berberis. 214
PApaver nocet capiti. 250
Pariendi tempus in homine eſt incertum. 260
Partum non licet ejicere. 258
Petroſelinum eſt apium verum. 207
Peritonæum vulneratum quomodo ſit conſuendum. 70
Peſtis non admittit ſectionem venæ. 157
Philtra quid præſtent. 118
Pica non eſt affectus ſolius ventriculi. 183
Pilulæ poſt cœnam non ſumendæ. 143
Pinguedo intus non obducit inteſtina. 66
Pinguedinis inepta concretio coleri. ibid.
Piſum & cicer differunt. 217
Plantarum amaritudo potiùs in craſſis quàm tenuibus plantæ partibus conſiſtit. 199

Plantarum partes tenuiores potiùs quàm craſſiores in vapores abeunt. 19
Polygonum minus urinam non movet. 21
Porriginis cauſa. 18
Prægnantis appetitus unde. 18
Pubis oſſa diſtrahuntur in partu. 26
Pulmonis officium. 3
Pulſuum doctrina eſt difficilis. 6
Purgatio in Dyſenteria. 172
Purgatio ſpecificorum humorum non poteſt tribui medicamentis vomitoriis. 166
Pus Empyematis non tranſit cor & arterias. 38
Qualitates plantarum oſcitanter à neotericis inveſtigantur. 192
Qualitas venenorum eſt occulta. 202
Qualitates plantarum non diſcuntur ab externis earum ſignaturis. 205
Qualitates diverſæ ſæpè inſunt uni & eidem plantæ. 240
Religioſi nonnulli potiùs ſuperſtitioſi. 192
Renes ſunt generationis organa. 270
Reſpirationis privatio vivo homine. 18
Reſpirationis cauſa & neceſſitas. 19
Rhabarbarum ſolam bilem trahit. 139
Ricini facultates. 221
Sacharum vermes non gignit. 195
Sacharum præſervat à putredine. 196
Salicis facultas. 222
Sanguis quomodo abundet in virginibus. 53
Sanguis quomodo ad mamillas feratur. 53
Sanguinem quæ ſiſtant. 93
Sanguis humanus telo alicui adhærens non poteſt deducere pharmaci vim ad remota vulnera. 104
Sanguiſorba & pimpinella plurimum differunt. 215
Sapore rerum qualitates inveſtigantur. 252
Senſus interiores ſedibus ſunt diſcluſi. 279
Signaturis plantarum nihil poteſt tribui. 248
Simplicium ſingulorum vires non manent in compoſito. 100
Simplicia vulneraria dicta. 109
Somnus an poſt cibum conferat. 293

Spectra repentinam corporis mutationem pariunt. 180
Splen fruſtra non factus. 46
Squamulæ in porrigine unde. 185
Sterilitas unde proveniat Scythis. 273
Sudorifera in corporibus impuris non uſurpanda. 165
Sudor Anglicus. 162
Suffuſio perfecta uno die facta. 85
Superſtitioſa pharmaca. 12.192
Sympathia quouſq; ſe extendat. 106

T*Aciturnitas commendat medicum.* 13
Temperamentum variat mores. 59
Terra cur venena producat. 121
Terror peſtis cauſa. 253
Terrore qui mortui. 83
Teſtes ad formandam vocem conferunt. 74
Timiditatis effecta. 10.296
Tranſpiratio ad conſervandam vitam ſæpè ſufficit. 23
Triſtitia an plus ad conciliandum ſomnum faciat quàm curæ & timor. 295
Tuſſis per attenuantia ſæpè fit deterior. 207

V*Enæ mammariæ cum ſubclavia coitus.* 53
Venena ſtatuto tempore non operantur. 130
Venena etiam correcta, ſunt noxia. 205
Venena non omnia ſunt frigida. 123
Venenum ex vulnere quomodo trahendum. 97
Ventriculus ſauciatus coaleſcit. 70
Ventriculus an ſolus concoquat. 62
Venus quomodo excitetur. 57
Venus non ſinit pingueſcere. 26
Verborum nulla efficacia. 115
Vernale tempus an ſaluberrimum. 298
Vermes non generantur in animalibus venenatis. 128
Vinum rubrum non refrigerat. 231
Vina dulcia non inebriant. ibi.
Vinum non mitigat bilem. 224
Vinum quale ſenibus conferat. 227
Vivens non ſemper reſpirat. 18
Unguenti armorum deſcriptio. 99
Vomitoria electivè non purgant. 166

2700-10

Voracitatis monſtroſæ exempla. 6
Urina unde nigreſcat. 5
Uterus non habet cellulas. 7
Uterus non oberrat. 7
Vulnera non lethalia quomodo mortem inferant. 7
Vulnerum differentiæ. 9
Vulnera quænam ſuâ ſponte, & quæ minùs curentur. 9
Vulneraria potiones quid proſint. 108

FINIS.

ERRATA.

Pag. 47. lin. 23. pro meſenteriam legendum meſenterium. *194. lin. 25. pro hirundines legendum* hirudines. *Reliqua, ſi quæ obrepſerunt, benevolus lector corrigat.*

BOUND BY KELLY & SONS